FABULAE GRAECAE QUATENUS QUAVE AETATE PUERORUM AMORE COMMUTATAE SINT

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

RUDOLFUS BEYER

LIPSIENSIS

WEIDAE THURINGORUM

TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT

MCMX

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

Bethe et **Lipsius**

Lipsiae, d. XXVII. m. Mai. a. MCMX.

Procancellario

Rohn.

Argumenti tabula.

	pag.
Praefatio	5—8
Caput I: De fabulis paederasticis ad Herculem pertinentibus	9—24
§ 1. De Hercule puerorum amatore	9—10
§ 2. Iolaus	10—12
§ 3. Sostratus (Polystratus). Diomus. Elacatus	12—15
§ 4. Hylas. Abderus. Perinthus	15—20
§ 5. Admetus. Eurystheus. Philoctetes	20—22
§ 6. Haemon. Chonus. Iocastus. Phrix	22—23
§ 7. Fabulae dubiae: Nestor. Dryops. Polyphemus	23—24
Caput II: De fabulis paederasticis ad Apollinem pertinentibus	25—41
§ 1. De Apolline puerorum amatore	25—26
§ 2. Hyacinthus. Atymnius	26—30
§ 3. Branchus. Clarus. Melampus. Potnieus. Phorbas	30—33
§ 4. Hippolytus Sicyonius	33
§ 5. Leucates. Zacynthus. Parus. Troilus	34—35
§ 6. Admetus. Hymenaeus. Iapyx. Cyparissus. Amyclas	35—38
§ 7. Fabulae dubiae: Scephrus. Amarynthus. Carnus. Cinyras. Orpheus. Hylas. Olympus	39—41
Caput III: De Ganymede (§§ 1—5)	42—49
§ 6. Neptunus et Pelops	50—51
Caput IV: De reliquis fabulis	52—70
§ 1. Achilles et Patroclus. Achilles et Antilochus. Meriones et Idomeneus. Orestes et Pylades. Theseus et Pirithous. Achilles et Troilus	52—56
§ 2. Agamemnon et Argynnus. Laius et Chrysippus. Iuppiter et Chrysippus	56—59
§ 3. Chiron et Achilles. Sophoclis fabula satyrica Ἀχιλλέως ἐρασταί. Hercules et Achilles. Bacchus et Achilles	59—62
§ 4. Panthus et Antenoris filius. Antheus Paridis et Deiphobi amasius. Mercurius et Antheus	63—64
§ 5. Talus et Rhadamanthys. Rhadamanthys et Licymnius. Miletus vel Atymnius Minois et Sarpedonis amasius. Minos et Theseus	64—66

§ 6. Fabulae ad Bacchum pertinentes: Prosymnus. Ampelus. Corymbus. Hymenaeus. Adonis. Hermaphroditus. Chiron 66—69
§ 7. Cadmus Mercurii, Calais Orphei, Cycnus Phylii, Daphnis Mercurii, Endymion Hypni, Glaucus Melicertae, Hippolytus Aesculapii, Hyacinthus Thamyrae, Hylas Polyphemi, Hymenaeus Thamyrae, Narcissus Aminiae, Nerites Neptuni, Olympus Marsyae, Palicus Iovis, Peleus Vulcani, Perseus Mercurii, Phaëthon Cycni, Tlepolemus Thesei, Vesper Hymenaei amasius. Centauri . . . . 69—70
Conclusio . . . . 71—76

Sigla.

RML. = Roscher, Mythologisches Lexikon.
PWR. = Pauly-Wissowa, Realencyclopädie des klass. Altertums.
RhM. = Rheinisches Museum.

Praefatio.

Suscepi hac dissertatione fabulas ad puerorum amorem pertinentes historiae fabularis Graecae et colligere et sciscitari, unde singulae originem duxerint. Propositum igitur habeo perscrutari, quibus in regionibus quibusque temporibus singulae fabulae natae sint, utrum revera in ore populi fabulantis fuerint vel ex cultu cuiusvis regionis processerint, an fictae a singulis poetis fuerint, utrum ab initio amorem exhibuerint, an a posteris corruptiorum temporum hominibus ex castis incestae factae sint. Atque hoc imprimis inquiratur, quemadmodum illis temporibus, quibus puerorum stupra maxime viguisse constat, historia fabularis Graeca illa paedicandi ratione aucta atque variata sit. Puerorum enim amorem, quem saeculis VIII. et VII. iam apud Dorienses viguisse scimus, imprimis saeculis VI. et V. cum gentis illius sententiis per totam Graeciam vulgatum esse apertum est.[1])

Iam antiquis temporibus catalogi amasiorum exstiterunt, quorum vestigia non pauca tempus tulerunt. Notissima nomina illius historiae fabularis promit Hyginus f. 271: qui ephebi formosissimi fuerunt: Adonis, Cinyrae et Smyrnae filius, quem Venus amavit. Ganymedes, Erichthonii filius, quem Iovis amavit. Hyacinthus, Oebali filius, quem Apollo amavit. Atlantius, Mercurii et Veneris filius, qui Hermaphroditus dictus est. Hylas, Thiodamantis filius, quem Hercules amavit. Chrysippus, Pelopis filius, quem Theseus ludis rapuit. — Alia nomina affert Mythologus Westerm. M. Gr. p. 345: *Φιλέταιροι. Θησεὺς καὶ Πειρίθοος. Ἀχιλλεὺς καὶ Πάτροκλος. Ἰδομενεὺς καὶ Μηριόνης. Ἀχιλλεὺς καὶ Ἀντίλοχος. Ὀρέστης καὶ Πυλάδης. Διομήδης καὶ Σθένελος. Φίντης καὶ Δάμων Συρακούσιοι.* — Accedit Athenaeus, qui cum aliis

---

[1]) cf. E. Bethe, RhM. 1907, p. 438 sqq.

locis obiter, tum in libro XIII copiose agit de puerilibus amoribus. Profert Adonidem Bacchi, Argynnum Agamemnonis amasium, Ganymedem raptum vel a Iove (566 c, d), vel a Minoe (601 e), Endymionem Hypni, Eurystheum Herculis, Theseum Tlepolemi amasium, Chrysippum a Laio raptum, Glaucum a Melicerta, Theseum a Minoe, Rhadamanthyn a Talo, Hymenaeum ab Argynno amatum. — Uberrima Clementis Romani diligentia est, qui in homiliis V, 15 larga manu pueriles amores effundit, item ex talibus catalogis sumptos: *αὐτίκα γοῦν αὐτὸς ὁ Ζεὺς Γανυμήδους ἐρᾷ· Ποσειδῶν Πέλοπος· Ἀπόλλων Κινύρου, Ζακύνθου, Ὑακίνθου, Φόρβαντος, Ὕλα, Ἀδμήτου, Κυπαρίσσου, Ἀμύκλα, Τρωίλου, Βράγχου, Τυμνίου, Πάρου, Ποτνιέως, Ὀρφέως· Διόνυσος δὲ Λαόνιδος, Ἀμπέλου, Ὑμεναίου, Ἑρμαφροδίτου, Ἀχιλλέως· ὁ δὲ Ἀσκληπιὸς Ἱππολύτου· καὶ Ἥφαιστος Πηλέως· Πᾶν δὲ Δαφνίδος· ὁ Ἑρμῆς Περσέως, Χρύσου, Θέρσου, Ὀδρύσου· Ἡρακλῆς δὲ Ἀβδήρου, Δρύοπος, Ἰοκάστου, Φιλοκτήτου, Ὕλα, Πολυφήμου, Αἵμονος, Χώνου, Εὐρυσθέως.* — De ratione intercedente inter Hygini et Clementis catalogum recte egit Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 Commentar. Gramm. II, p. 13: „mirum est, quam late eiusdem enchiridii excerpta apud cuiusvis generis scriptores dispersa sint.“ Accedit Firmicus Maternus de errore prof. rel. cap. 12 (fol. 11[r], p. 28 ed. Ziegler): Puerorum aliquis delectatur amplexibus: Ganymedem in sinu Iovis quaerat, Herculem videat Hylam inpatienti amore quaerentem, Hyacinthi desiderio captum Apollinem discat, Chrysippum alius. alius Pelopem videat, ut per deos suos. sibi licere dicat quicquit hodie severissime Romanis legibus vindicatur. — Cum Hygino ipse quoque partim congruit Clemens Alexandrinus Protr. p. 28, Stählin I, p. 24: *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ παίδων ἀπέσχοντο οἱ παρ' ὑμῖν θεοί, ὃ μέν τις Ὕλα, ὃ δὲ Ὑακίνθου, ὃ δὲ Πέλοπος, ὃ δὲ Χρυσίππου, ὃ δὲ Γανυμήδους ἐρῶντες.* — Accedunt Suidas s. v. *Θάμυρις . . . καὶ πρῶτος ἠράσθη παιδὸς Ὑμεναίου τοὔνομα, υἱοῦ Καλλιόπης καὶ Μάγνητος. οἱ δὲ Κρῆτα φασί τινα Τάλωνα Ῥαδαμάνθυος ἐρασθῆναι. οἱ δὲ Λάιόν φασιν ἐρασθῆναι πρώτον Χρυσίππου τοῦ Πέλοπος υἱοῦ . . . κατὰ δὲ ἀλήθειαν αὐτὸς ὁ Ζεὺς πρῶτος ἠράσθη Γανυμήδους* — Plutarchus Numa c. 4, p. 62: *καὶ οὐ πλημμελοῦσιν οἱ τὸν Φόρβαντα καὶ τὸν Ὑάκινθον καὶ τὸν Ἄδμητον ἐρωμένους*

Ἀπόλλωνος γεγονέναι μυθολογοῦντες — Schol. Ap. Rhod. I, 1207: *ἐγένοντο δὲ πολλοὶ ἐρώμενοι Ἡρακλέους· Ὕλας, Φιλοκτήτης, καὶ Δίομος καὶ Περιθόας καὶ Φρίξ.* Philostratus ep. 5 (p. 226 K.): *πόθεν εἶ μειράκιον; εἰπέ, ὅτι οὕτως ἀτέγκτως πρὸς ἔρωτας ἔχεις; ἐκ Σπάρτης ἐρεῖς; οὐκ εἶδες οὖν Ὑάκινθον ...; ἀλλ' Ἀθήνηθεν; τὸν Ἁρμόδιον καὶ τὸν Ἀριστογείτονα οὐ διέβης; ἀλλ' ἀπ' Ἰωνίας; καὶ τί τῆς γῆς ἐκείνης ἁβρότερον, ὅπου Βράγχοι καὶ Κλάροι οἱ Ἀπόλλωνος καλοί;* ep. 8 (p. 228 K.): *οὐ μὴν ὁ Βράγχος ἔφευγε τὸν Ἀπόλλωνα ὡς ξένον, οὐδὲ ὁ Ὕλας τὸν Ἡρακλέα, οὐδὲ ὁ Λικύμνιος τὸν Ῥαδάμανθυν, οὐδὲ ὁ Πάτροκλος τὸν Ἀχιλλέα, οὐδὲ ὁ Χρύσιππος τὸν Λάιον.* ep. 57 (p. 251 K.): *ὁ δὲ Ἀπόλλων οὐκ Ἀδμήτῳ καὶ Βράγχῳ ἐθήτευσεν, ὁ δὲ Ζεὺς οὐ τὸν Γανυμήδην ἥρπασεν,* quo cum loco conferas verba Longi IV, 17, 6: *βουκόλος ἦν Ἀγχίσης καὶ ἔσχεν αὐτὸν Ἀφροδίτη· αἶγας ἔνεμε Βράγχος καὶ Ἀπόλλων αὐτὸν ἐφίλησε· ποιμὴν ἦν Γανυμήδης καὶ αὐτὸν ὁ Ζεὺς ἥρπασε.* Nonno quoque catalogum quendam puerorum praesto fuisse apparet. Unde enim appetiverit Ganymedem a Iove (X, 256 sqq. saepius), Ampelum a Baccho (X, XI), Pelopem a Neptuno (XI, 271 sqq.), Cyparissum a Zephyro (XI, 363 sqq.), Hylam ab Hercule (XI, 227, 8), Atymnium ab Apolline (XI, 130, 1; 258), Admetum ab Apolline amatum (X, 323 sqq.), alios?

Qui loci cum mythologorum priscorum studium tales fabulas colligendi, tum magnam huiusmodi fabularum copiam comprobant.

Nostris temporibus fabulae paederasticae ipsae hucusque nondum a viris doctis opera dedita congestae neque accuratius perquisitae sunt. Non mirum, nam omnino paederastiae Graecae origini atque rationi adhuc satis raro viri docti operam navaverunt. Nominandi sunt Welckerus (Kl. Schr. II, 88 sqq.), C. O. Müllerus (Dorer II², 286 sqq.), Beckerus (B.-Göll Chaeicl. II, 252 sqq.), Hoeckius (Creta III, 106 sqq.), Bethius (RhM. 1907, 438 sqq.). Sane ei viri docti, qui paederastiae Graecae ipsius originem rationemque indagandas sibi proponunt, notissimas tantum fabulas respicere solent. Mythologi hucusque tantum obiter singulas fabulas tetigerunt. Praeterea toti haerent in quaestionibus mythologicis neque fructibus ex illis studiis ductis ad paederastiam Graecam ipsam melius cognoscendam et rectius intellegendam utuntur. Laudandus est Prellerus (RhM. 1846,

399 Phanocl. u. d. Mythol. d. Knabenlb.), qui primus suo iure pronuntiavit ad paederastiam ipsam recte intellegendam fabularem quoque historiam puerilium amorum respiciendam esse. Sed haeret in uno Phanocle neque recte perspicit, unde tota fere illa historia fabularis originem duxerit. Persuasi enim mihi plerasque fabulas ad gentem Doriensem referendas esse. Prellerus autem, si recte intellego, permultarum fabularum originem ab externis gentibus ducit, exempli gratia Pelopis, Tantali, Ganymedis, aliorum, quorum patria obiter sane inspicienti non Graecia, sed Asia videtur fuisse. Itaque rationem paederasticam illarum fabularum ad consuetudines Phrygum, Lydorum transfert. Quin etiam Welckerus Aesch. Tril. 355 sq. docet claris verbis paederastiam ex Lydia in Graeciam importatam esse, id quod ex fabulis illis de Laio et Chrysippo, de Agamemnone et Argynno, de Neptuno et Pelope, aliis satis cognosci posse sibi persuasum habet. C. O. Müllerus quoque putat Graecorum sodalitates ab initio castas fuisse. Stupra paederastica a Lydis prodisse. Quae rationes quam falsae sint, hac ipsa commentatione satis me illustraturum esse spero. Sed hac in re Prellero libenter adstipulamur, ex fabulis illis optime cognosci posse, quo ex tempore paederastia in Graecia ipsa viguerit et quibus in regionibus praeter ceteras pervulgata fuerit. Nam hoc quoque ex illa historia fabulari effici debet, turpitudinem illam non antiquitus Graecis notam fuisse. Fabulantur enim mythologi a Iove, Laio, Minoe, Thamyra, Orpheo, Tantalo, aliis principium talis amoris factum esse. Prisca poesis Homerica caret omnino illa nequitia. Et quibus in regionibus ea viguerit, ex illis fabulis sane cognosci quivis concedet. Nam hoc possumus pro certo habere, in illis regionibus, ubi tales fabulae confictae sunt et in ore populi fuerunt, paederastiam ipsam quoque in peculiaribus incolarum moribus fuisse.

Sed accedamus iam ad fabulas ipsas ita, ut in capite 1 de Herculis amasiis agamus, in capite 2 de Apollinis, in capite 3 de Ganymede et Pelope. Agmen claudant ceteri heroes molles in capite 4.

Caput I.

De fabulis paederasticis ad Herculem pertinentibus.

§ 1. De Hercule puerorum amatore.

Nullorum deorum nec heroum nomina tam saepe in fabulis paederasticis inveniuntur, quam Apollinis et Herculis, cuius in deliciis habentur: Iolaus, Sostratus (Polystratus), Diomus, Elacatus, Hylas, Abderus, Perinthus, Admetus, Eurystheus, Philoctetes, Haemon, Chonus, Iocastus, Phrix. Quid, quod ille Ptolemaeus Chennus, fabularum callidissimus inventor[1]) et paederasticarum ipse amantissimus, Herculem finxit amicum etiam Adonidis, Argi, Corythi, Nestoris, Nirei, Stichii.

Obiter inspicienti iam apparet Herculem non fortuito tot puerorum amatorem fictum esse. Atque vel inde, quod Hercules in amoribus puerilibus parem neminem habet nisi Apollinem, facile suspicio nascitur amores herois magnam partem a Doriensibus fictos esse. Nam et Herculem et Apollinem apud Dorienses magna veneratione fuisse constat. Quamquam vix iam quisquam nunc putaverit cum C. O. Müllero, quem laudat etiam Wilamowitzius Her. 1^2, p. 19, Herculis cultum ad solos Dorienses spectare, qui heroem ipsi secum apportaverint et summum totius gentis fautorem et tutorem celebraverint, tamen ne hoc quidem negari potest, Herculem in civitatibus Doriensibus magnopere cultum esse.[2]) Itaque docuit Wilamowitzius l. l. Herculem veram speciem fuisse viri Doriensis. Atque cur gens Doriensis heroem tantopere coluerit, facile intellegitur, si gentis

---

[1]) cf. R. Hercher, Jahrb. Suppl. I (1855), p. 281.

[2]) Attenuata est sententia C. O. Mülleri imprimis ab his viris doctis: E. Meyer, Gesch. d. Alterts. II, p. 281; Beloch, Rh M. 1890 (45), p. 578 sqq.; Dümmler, Philol. X (56), 1897, p. 9; Miller, PWR. V, 2 s. v. Dores, p. 1557; Friedländer, Philol. Unters. Heft 19 (1907), p. 45 sqq.

indolem respicimus, imprimis educationem militarem puerorum. Atque inde quod tota gens tantopere studebat, ut pueri summum corporis robur nanciscerentur et viri fortissimos se praeberent, facile fieri poterat, ut Herculem ipsum sequerentur et in eo, quippe qui fortissimus videretur, revera speciem viri Doriensis agnoscerent. Ante omnes pueris et iuvenibus, qui in palaestris ludebant et exercebantur, exemplar audaciae, fortitudinis, roboris videri debebat, nam Hercules patronus erat epheborum, saepe in epigrammatibus ephebicis laudatus; statua eius in omnibus fere gymnasiis palaestrisque stabat.[1])

Quod iam attinet ad fabulas illas amatorias, persuasi mihi eas revera magnam partem ad gentem Doriensem referendas esse, sive a Doriensibus ipsis fictae sunt, sive eorum auctoritati debentur. Atque saepe a viris doctis pronuntiatum est puerorum amores a Doriensibus ad ceteros Graecos venisse atque apud Dorienses semper plurimum valuisse.[2]) Doriensium auctoritas quanta imprimis saeculis VII. et VI. fuerit, ex fabulis ipsis cognoscas per totam fere Graeciam dissipatis. Nam persuasum habeo nonnullas fabulas, quae non illico ad Dores revocari possunt, quippe quae in aliis civitatibus natae sint, tamen pro auctoritate Doriensium aliquatenus ad gentem illam spectare.

§ 2. Iolaus.

Iam antiquitus si quis alius, Iolaus fidelissimus Herculis sodalis erat. Non minore audacia nec fortitudine praeditus

---

[1]) Recte Oehlerus (PWR. V, 2, 2745) de ephebis disputat: als körperschaft hatten sie auch ihre schutzgottheiten, es waren die schutzgötter des gymnasiums überhaupt, Hermes und Herakles. De epigrammatibus velim conferas Kaibel Epigr. No. 948, 952, 957, 966, de statuis cf. Paus. II, 10, 7; III, 14, 6; IV, 32, 1. — cf. Welcker, Gr. Götterl. II, 764, 5; Furtwängler, RML. s. v. Herakles, p. 2176; Neubauerus (Arch. Zeit. 34 (1876), p. 68, demonstravit eum ephebum, qui robore et fortitudine alios antecesserit, a sodalibus Herculem vocatum esse et Herculis insignibus, clava et pelle leonina ornatum esse.

[2]) cf. M. H. E. Meier, Hallesche Encycl. Sect. III, vol. IX, 149—187; C. O. Müller, Dorer II², 286sqq.; Hoeck, Creta III, 106sqq.; Bethe, RhM. 62 (1907), 438sqq.; Theban. Heldl., 145; Wilamowitz, Her. I¹, 269; Burckhardt, Gr. Kultg. IV, 146³.

quam ille, numquam cunctatur, vel cum amico, vel pro amico labores et pericula suscipere. Nonne Iolaus amicum in Hydra illa prosternenda tam fortiter adiuvit, ut Eurystheus hunc laborem ut irritum agnoscere nollet? Hes. theog. 317. Herodor. et Hellan. in schol. ad Plat. Phaed., p. 89 C (= FHG. I, p. 50). Eurip. Ion. 195 sqq., alii. Nonne idem heroem ad boves Geryoneios, ad Cycnum, in expeditione Troica comitatus est? Diod. 4, 24. Pind. N. 3, 36. Hesiod. Scut. 74 sqq. Eidem amico Hercules, cum Iolen in matrimonium ducere vellet, Megaram, quam antea uxorem habuerat, tradidit, ut eius uxor esset. [Apoll.] bibl. II, § 127. Diod. 4, 31. Erant revera amicissimi!

Sed haec amicitia, si Hesiodum spectas, nihil aliud erat nisi mera et casta sodalitas, sicut Achillis cum Patroclo, aliorum cum aliis in Homeri fabulis ceterisque vetustioribus. In Theogoniae enim vs. 317 et Scuti vs. 75 sqq. Heracles et Iolaus amicissimi sed nondum paederastae videntur esse. Alter alterum appellat Scut. v. 78 *βροτῶν πολὺ φίλτατε πάντων*, v. 95 *ὦ φίλος*, v. 103 *ἠθεῖε*.

Neque vero fieri potuit, quin talis amicitia et sodalitas a Graecis VII. vel VI. saeculi in paederastiam permutaretur, sicut Achillis et Patrocli, aliorum multorum familiaritas. Quod praecipue Thebis factum esse videtur, quo in oppido amici et amantes in Iolai sepulcro, qui fidelissimae amicitiae exemplum dedisse videbatur, iureiurando fidem et amorem sibi affirmare solebant. Quo de ritu audias Plutarchum, qui in Amatorio C. XVII, 761 E haec dicit: *Ἡρακλέους δὲ τοὺς μὲν ἄλλους ἔρωτας ἔργον ἐστὶν εἰπεῖν διὰ πλῆθος. Ἰόλαον δὲ νομίζοντες ἐρώμενον αὐτοῦ γεγονέναι μέχρι νῦν σέβονται καὶ τιμῶσιν, ἔρωτος ὅρκους τε καὶ πίστεις ἐπὶ τοῦ τάφου παρὰ τῶν ἐρωμένων λαμβάνοντες.* Idem Plutarchus in Pelopida C. XVIII. p. 287 narrat: *λέγεται δὲ καὶ τὸν Ἰόλεων τοῦ Ἡρακλέους ἐρώμενον ὄντα κοινωνεῖν τῶν ἄθλων, καὶ παρασπίζειν. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ καθ' αὑτὸν ἔτι φησὶν ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ Ἰόλεω τὰς καταπιστώσεις ποιεῖσθαι τοὺς ἐρωμένους καὶ τοὺς ἐραστάς.* Intellegimus iam ex eis, quae antecedunt, amicitiam paederasticam heroum haud aliter fictam esse, nisi illam Doriensium sodalitatem paederasticam, cuius optimum exemplum praebet ille *ἱερὸς λόχος* Thebanorum,

cuius idem Plutarchus mentionem facit. cf. Bethe, RhM. 62 (1907), 445. Wilamowitz, Her. I², 50⁸⁵, Ind. Gryph. 1880 Commentar. Gramm. II, 15. Videmus in sacra illa Thebanorum cohorte amantes, amasios iuxta amatores pugnantes et timide caventes, ne alter ante alterius oculos ignavum, imbellem, imbecillum se praebeat.

Praeterea Plutarchus amorem heroum tangit de fratern. amor. C. XXI, p. 492 D.

Persuasum autem tibi habeas utrumque heroem et praecipue Iolaum non alicubi tanta veneratione fuisse, quanta antiquitus Thebis, quippe utriusque in patria. Pind. J. I, 16. 55. Preller, Gr. M. II³, 183, 4. Gruppe Gr. M. 484, 3. Iolaus Thebis heroum, *Ἰόλειον* illud gymnasium, curriculum habebat. Paus. IX, 23, 1. Eidem Thebis *Ἰόλεια* agebantur. Schol. Pind. O. 13 gl. 148 (152, 157). Itaque scholiasta Aristoph. Ach. 867 suo iure adnotat: *Ἰόλαος ἥρως οὕτω τιμώμενος παρὰ Θηβαίοις.*

Atque hoc pro certo haberi potest heroes iam Pindari temporibus, qui ut Herculem, Iolaum ipsum satis celebrat et sepulcri eius feriarumque mentionem facit, a Thebanis propter amorem cultos esse sicut Aristotelis temporibus.

§ 3.

a) Sostratus (Polystratus).

Paus. VII, 17, 8: *ὀλίγον δὲ πρὸ τοῦ ἄστεώς ἐστι τῶν Δυμαίων ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ τάφος Σωστράτου· μειράκιον δὲ ἦν τῶν ἐπιχωρίων, γενέσθαι δὲ Ἡρακλέους ἐρώμενόν φασιν αὐτόν, καὶ — ἀποθανεῖν γὰρ τὸν Σώστρατον Ἡρακλέους ἔτι ὄντος μετὰ ἀνθρώπων — οὕτως οἱ τὸν Ἡρακλέα τό τε μνῆμα αὐτὸν εἶναι τὸν ποιήσαντα καὶ ἀπαρχὰς ἀπὸ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν δοῦναι. ἐπίθημα δὲ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι στήλη τε ἦν ἐπὶ τοῦ χώματος καὶ Ἡρακλῆς ἐπειργασμένος· ἐλέγετο δὲ ὡς οἱ ἐπιχώριοι καὶ ἐναγίζουσι τῷ Σωστράτῳ.*

cf. epigramma in Achaiae illo vico repertum (Kaibel 790):

χαῖρέ μοι, κάλλιστε καλῶν ἠιθέων Πολύστρατε,
ἀλκίμῳ μάλιστα πάντων Ἡρακλεῖ τετιμένε,
ὃς πάλαι δάμης ὑπ' αἰχμῆς θουρίων Μολινιδᾶν,

πυκνὸν Ἀλκείδῃ κορύσσων οὐλαμὸν παραστάτης,
ἔγχος ὀξύνας σιδήρῳ τὸ πρὶν ἐστομωμένον.
ἀλλ' ἔθνηκες· ἐκ δ' ἄρ' ὅσσων οὐ πάρος δεδευμένων
Ἡρακλεῖ κατῆλθε δάκρυ καὶ γοηρὸν ἴαχεν,
χαλκέῳ χαίτην δ' ἄπλεκτον ἐσκύθιξε φασγάνῳ.

Est igitur fabella haec paederastica Dymaeorum regionis propria.

Secundum enim Kaibelium (Epigr. p. 320, 1. Arch. Ztng. 33 [1876], p. 172, 3), Duhnium (Ath. Mitt. 3 [1878], 78, 1), Hitzigium, Bluemnerum (Paus. II², p. 806), Hoeferum (RML. s. v. Polystratos) Sostratus Pausaniae idem est atque Polystratus epigrammatis. Kaibelius hanc nominis discrepantiam aut Pausaniae errori tribuendam esse conicit „aut eorum, a quibus ille fando accepta rettulerit.“ Quem errorem Pausaniae facile irrepere potuisse „cum praesertim paullo post (C. 17, 14) de Sostrato Pellenensi Olympionica narrandum fuerit.“ Conici quoque posse Dymaeos ne ipsos quidem satis iam rem exploratam habuisse. Polystratum in pugna perisse, Pausaniam vix a Dymaeis comperisse. Tamen haud dubie haec forma fabulae prisca est. cf. Kaibel, Arch. Ztng. l. l. Conicit Kaibelius sagacissime epigramma illud Dymaeum fortasse anno 219 conscriptum esse, quo anno Dymaei, antea semper hostium incursionibus vexati proeliisque pulsi, ipsi primi felicissime pugnaverunt. „Hanc fortasse victoriam Polystrati operae tribuebant, qui ut olim Herculis ita civium tum *παραστάτης* exstitisset; gratias autem referentes heroi veteres renovabant honores restitutoque sacello diu neglecto titulum inscripserunt in rei bene gestae memoriam“ (Epigr. p. 320, similiter Arch. Ztng. l. l.). Itaque Kaibelius existimat, similitudine inter hoc epigramma et Alcaei Messenii poesin respecta, epigramma illud ab eodem Alcaeo pro Dymaeis a. fere 219 conscriptum esse. Kaibelio assentitur Reitzensteinius PWR. I, 1506 s. v. Alkaios. Sagaciter Hoeferus l. l., de Sosipoli heroe cogitans conicit Dymaeos ipsos fortasse Polystrati nomen in Sostratum vertisse, felicem belli eventum heroi attribuentes. Stratum enim vetus Dymarum nomen fuisse testatur Stephanus s. v. *Δύμη*: *καὶ Δύμη ἡ χώρα πάλαι ἐκαλεῖτο, ἡ δὲ πόλις Στράτος, ὕστερον δὲ καὶ πόλις καὶ ἡ χώρα Δύμη ἐκλήθησαν.*

Ex eis, quae sequuntur apud Stephanum, Wilamowitzius Her. I², 21⁴² colligit Antimachum poetam huius Herculis amasii sortem cecinisse.

Quas virorum doctorum sententias amplexus concludam fabulam paederasticam priscam fuisse, veri enim simillimum est Dymaeos illis temporibus de herois illius sorte fabulatos esse eumque cultu celebrasse, quibus paederastia ipsa maxime pervulgata erat; tum ille heros Herculis *παραστάτης* fuerit.

b) Diomus.

Schol. Aristoph. Ran. 652 = Suid. s. v. *Διόμεια: τὰν Διομείοις· Δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς ἀπὸ Διόμου ἐρωμένου τοῦ Ἡρακλέους. ἔστι δὲ Ἡράκλειον αὐτόθι. Περὶ οὗ καὶ Ῥιανός φησι δηλῶν, ὅτι Δίομος Ἡρακλῆς ἐγένετο.*

Steph. Byz. s. v. *Διόμεια: Ἡρακλῆς γὰρ ἐπιξενωθεὶς παρὰ Κολλύτῳ ἠράσθη Διόμου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, οὗ ἀποθεω . . . . . .* cf. Schol. Ap. Rhod. Arg. I, 1207.

Fabella igitur Atheniensis est, nam Diomus ipse eponymus est Diomeae pagi Atheniensis, natus Collyto patre, qui eponymus est Collyti pagi, illi finitimi.

Prope ab urbe ipsa in amoena Ilissi rivuli valle celeberrimum illud Cynosarges situm erat, templum gymnasiumque Herculi consecratum, quod inde nomen suum accepisse traditur, quod Suida s. v. *Κυνόσαργες* teste canis sacrificium illius Diomi, Herculi amico destinatum, illuc abstulerit. Cynosarges gymnasium iam Solonis temporibus (639—559) fuisse ex Demosth. Timocr. (XXIV) p. 736, 114 apparet, ubi de Solonis lege disputat: *καὶ εἴ τίς γ' ἐκ Λυκείου ἢ ἐξ Ἀκαδημείας ἢ ἐκ Κυνοσάργους ἱμάτιον* ... Fabellam paederasticam tum quoque iam exstitisse in ore populi viventem, facile quis coniecerit. Nam consuetudinem illius stupri Solonis temporibus Athenis magnopere iam viguisse ex eodem Solone satis constat. cf. Solonis fr. 25 B⁴. Bethe RhM. 1907, p. 441, 458.

Quam fabulam Rhianus Alexandrinus tractavit, quem etiam de Admeto Apollinis amasio narravisse infra ostendam. Accepit igitur poeta Alexandrinus Diomi fabulam antiquitus traditam. Nam in Cynosarge sacro Athenienses illa *Ἡράκλεια ἐν Διομείοις*

agebant, quorum saepe mentio fit. Aristoph. Ran. 651. Harpocr. s. v. ἐν Διομ. Ἡρακλ. Athen. VI, 260.

c) Elacatus.

Elacatum Lacedaemone Herculis amasium habitum et ludis celebratum esse Hesychio teste Sosibius narraverat grammaticus: s. v. Ἠλακάτεια· ἀγὼν ἐν Λακεδαίμονι ἀπὸ Ἠλακάτου, ὃς ἦν ἐρώμενος Ἡρακλέους, ὥς φησι Σωσίβιος.

§ 4.

a) Hylas.

Fabellae illius, quae est de Hercule et Hyla,[1]) memoriam tenuissimam esse ante Alexandrinorum tempora maxime dolemus, nam ne unum quidem testimonium amoris huius antiquius exstat. Attamen hanc quoque fabulam, antequam a poetis illis recepta est, diu iam in ore populi fuisse nobis persuasimus.

Iam enim dudum viri docti recte perspexerunt Herculis et Hylae historiam fabularem in Bithynia natam esse, ubi Dorienses et Aeolenses,[2]) qui ex media Graecia coloniam illuc deduxerant, Herculem heroem suum cum Hyla Ciancrum numine ita coniunxerunt, ut Hylam illum, quem antea iam Bithyni fluctibus submersum sollemni pompa cum conquestionibus requirebant, tum ab Hercule, quem ex patria comitatus esse dicebatur, deplanctum quaesitumque sibi fingerent. C. O. Müller, Dorer I², 453, Orchomenos² 287, 8, Prol. z. Mythol. 108, 9. Welcker, Kl. Schr. I, 11 sqq. Preller, Gr. M. II³, 327, 8. Kaemmel, Heracleotica 25 sqq. Mannhardt, Mythol. Forschng. 55 sqq. Wilamowitz, Arist. u. Athen II, 177. G. Türk, de Hyla (Bresl. Phil. Abh. VII, 1895, IV, 5 sqq.). Drexler RML. s. v. Hylas. Gruppe Gr. M. 319.

Demonstravit Wilamowitzius Her. I², 31 Mysum heroem cum Graeco a. fere 550 coniunctum esse, quo anno Heraclea urbs Bithyniae condita sit, colonorum illorum caput. Facit cum doctissimo illo Gruppius Gr. M. 319.

---

[1]) cf. [Apoll.] bibl. I, § 117: Ὕλας γὰρ ὁ Θειοδάμαντος παῖς, Ἡρακλέους δὲ ἐρώμενος, ἀποσταλεὶς ὑδρεύσασθαι, διὰ κάλλος ὑπὸ νυμφῶν ἡρπάγη.

[2]) Heracleam enim urbem Bithyniae a Megarensibus et Boeotis conditam esse geographi et periegetici testantur. cf. Wilamowitz, Her. I², p. 31.

Nec non veri est simile tum iam Hylam ab illis Megarensibus et Boeotis, qui in Mysiam emigrarant, Herculis amasium factum esse. Quod enim Türckius suspicatus est servum Herculis potius quam amasium Hylam fieri debuisse — nam Thiodamante patre Dryopumque rege ab Hercule bello superato interfectoque victoris comes factus erat secundum vulgarem illorum colonorum memoriam — tamen haud dubie eiusdem amasius fieri poterat, sicut Briseidem illam eiusdem Achillis captivam amasiamque novimus. Sed id quod respectu dignissimum videtur, Dorienses fabulam finxerunt atque tum quidem, cum stupra puerorum maxime florebant.

Quod fabulae illius argumenta ante tempora Alexandrina vix inveniuntur, mirum non est, cum Bithynia ab ipsa Graecia procul absit, neque colonorum illorum fabellam patriae incolis magni fuisse credamus. Itaque Graecis in patria sedentibus fabula innotuisse non videtur ante saeculi V. initium, post quod nonnulla quidem vestigia ostendi possunt. Praeter Aeschylum, si quidem Persarum vs 1054, 5[1]) ad Hylam spectant, quod in medio relinquam, commemorem Hellanicum, quem de amasio illo Herculis narravisse credo contra Türckium propter scholion Ap. Rh. I, 131: *σὺν καί οἱ Ὕλας] οὗτος Ἡρακλέους ἐρώμενος, υἱὸς δὲ Θειοδάμαντος τοῦ Δρύοπος . . . Ἑλλάνικος δὲ Θειομένη ἀντὶ Θειοδάμαντος ὀνομάζει.*

Notissima autem fabula paederastica facta est Alexandrinorum demum carminibus, quos, cum narratiunculas tales amatorias in deliciis haberent, libenter priscas fabulas minusque notas in poesin suam recepisse summaque artis indole exornasse hac commentatione saepius ostendam. Quibus Hylam inter celebratissimos fuisse recte illustravit Türckius. Apollonius Rhodius fabulam per longum carmen duxit (Arg. I, 1153 sqq.),

[1]) *καὶ στέρν' ἄρασσε κἀπιβόα τὸ Μύσιον*, ad quos versus Hesychius s. v. *ἐπιβόα τὸ Μύσιον* adnotat *ὅταν θρηνῶσιν αἱ Μυσαί, τὸν Μύσιον τὸν Ὕλαν ἀνακαλοῦνται.* Dubitatum est, utrum versus ille ad Hylam spectet an ad Bormum, simile Mariandynorum numen. cf. v. 937: *Μαριανδυνοῦ θρηνητῆρος.* Ad utramque fabulam spectare potest. Nam si Aeschylus Mariandynorum fabulam noverat, Cianorum quoque ei innotuisse verisimile est. — Haud dubie Aristophanes Plut. 1127 secundum scholia Hylam tangit: *ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς.*

Theocritus c. 13 brevissime tractavit. De ratione, quae intercedat inter Theocritum et Apollonium, disputaverunt Wilamowitzius (Textg. d. Gr. Buk. 174 sqq.), Knaackius (Gött. Gel. Anz. 1896, 884), Türckius l. l.. Apollonii carmen bucolicum poetam novisse et corrigendum et superandum sibi proposuisse reapse verisimillimum est. Nicandrum Colophonium ipsum quoque Hylae fabulam enarrasse testes sunt et Theo grammaticus in scholio ad Ap. Rh. I, 1236 . . . *καὶ Νίκανδρος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν Ἑτεροιουμένων ὑπὸ πασῶν φησιν αὐτὸν ἁρπαγῆναι νυμφῶν, ὁ δὲ Ἀπολλώνιος ὑπὸ μιᾶς* collato cum scholio ad Theocr. XIII, 46 et Antoninus Liberalis, qui quidem quartum eius pro secundo librum laudat. Callimachum quoque Hylae sortem cecinisse, fortasse in Aetiis, recte observarunt Türckius l. l., Knaackius Herm. XXIII, 138, alii. Quemadmodum rem tractaverit, Türckius scite perscrutatus est. Philetam quoque Hylam cecinisse idem Türckius conclusit ex Etym. M. p. 135, 26 ubi de Arganthonio monte poeta citatur. Sane ex sola montis mentione nihil certi colligi posse Türckius ipse intellexit.

Fabulam paederasticam, quae quantopere illis Alexandrinis placuerit, ex tot poetarum testimoniis colligas — nam ad unum omnes fabulam talem finxisse in propatulo est — posteris quoque poetis, praecipue Romanis non displicuisse ex Türckii commentatione cognoscas.

b) Abderus.

Stephan. Byz. s. v. *Ἄβδηρα: Ἄβδηρα πόλεις δύο. ἡ μὲν Θρᾴκης ἀπὸ Ἀβδήρου τοῦ υἱοῦ Ἑρμοῦ Ἡρακλέους ἐρωμένου, ὃν αἱ Διομήδους ἵπποι διεσπάσαντο, ὡς Ἑλλάνικος καὶ ἄλλοι φασίν.*

[Apoll.] bibl. II, § 97: *τὰς μὲν ἵππους παρέδωκεν* (Hercules Diomedis equas) *Ἀβδήρῳ φυλάσσειν· οὗτος δὲ ἦν Ἑρμοῦ παῖς Λοκρὸς ἐξ Ὀποῦντος, Ἡρακλέους ἐρώμενος, ὃν αἱ ἵπποι διέφθειραν.*

Philostr. Imag. II, 25: *ἀλλὰ τουτονὶ τὸν ἆθλον χαλεπώτερον χρὴ δοκεῖν Ἔρωτός τε πρὸς πολλοῖς ἐπιτάττοντος αὐτὸν τῷ Ἡρακλεῖ . . . τὸν γὰρ δὴ Ἄβδηρον ὁ Ἡρακλῆς ἡμίβρωτον φέρει ἀποσπάσας τῶν ἵππων . . . τὰ μὲν δὴ δάκρυα τὰ ἐπ' αὐτοῖς καὶ εἰ δή τι περιεπτύξατο αὐτῶν καὶ ὀλοφυρόμενος εἶπε καὶ τὸ βαρὺ τοῦ προσώπου τὸ ἐπὶ πένθει δεδόσθω καὶ ἄλλῳ ἐραστῇ . . . καὶ ἀγὼν τῷ Ἀβδήρῳ*

κείσεται. ἀγωνιεῖται δ' ἐπ' αὐτῷ πυγμὴν καὶ παγκράτιον καὶ πάλην καὶ τὰ ἐναγώνια πάντα πλὴν ἵππων.

Schol. Clem. Al. Protr. 50, 20 Stählin I, p. 315: Ἄβδηρα πόλις Θρᾴκης ἀπὸ Ἀβδήρου τοῦ ἐρωμένου Ἡρακλέους, ἐκεῖ καταβρωθέντος ὑπὸ τῶν Διομήδους ἵππων, οὕςπερ ἵππους ἀνεῖλεν Ἡρακλῆς, καὶ ἀπὸ τοῦ Ἀβδήρου τοῦ ἐρωμένου τὴν πόλιν Ἡρακλῆς κτίσας ὠνόμασεν.

Vetustissimus igitur auctor fabulae paederasticae Hellanicus est, quem Hylae fabulam quoque enarrasse modo ostendi. Poetarum testimonia desiderantur. Unde iam suspicio nascitur fabulam olim in ore populi fabulantis fuisse.

Atque ubi fabula conficta sit, vix in dubio esse potest. Nam inde quod Abderus ipse Abderae Thraciae heros est eponymus, statim apparet fabellam nullibi confingi potuisse, nisi in illo oppido Thraciae.

Nec non concludere posse mihi videor, quibus fere temporibus fabula excogitata sit, si historiam urbis contueor. Abdera enim (cf. Herodot. I, 168, Solin. X, 10, p. 68, 15 Momms., Euseb. Chron.) anno 656 (ol. 31, 2) a Clazomeniis condita est. Paulo post Thraces urbem expugnaverunt et deleverunt eiusque incolas exterminaverunt. Anno 543 Teii, qui ab Harpago, Persarum rege, depulsi ex Asia emigrarant, in Thraciam confugerunt urbemque collapsam restituerunt. Atque Anacreon poeta tum quoque Abderam se contulit. Iam vero crediderim fabulam illam, quae est de raptu equarum Diomedearum, aliqua cum proeliis illis Clazomeniorum cohaerere. Videtur enim mihi fabella illa naturam asperam et horridam illarum regionum repraesentare atque rudes Thracum mores proeliaque Clazomeniorum cum illis gesta. Quae si recte suspicatus sum, fabula de raptu equarum Diomedearum a. fere 650 videtur nata esse, vix quidem postea, nam scimus Pisandrum illum Suida s. v. *Πείσανδρος* teste ad 645 (ol. 33) floruisse, quem primum duodecim Herculis labores enumeravisse constat. Abderum iam tum Herculis amasium factum esse non est cur negemus. Si quis dubitat, certe anno fere 540 eam ortam esse concedet, cum Teii Abderam advenerunt, quos tum amoribus puerilibus magnopere iam indulsisse in uno Anacreonte satis conspicamur. Antea quidem vix nasci potuit.

quoniam Abdera a Thracibus expugnata usque ad illa tempora deleta videtur fuisse. Tum igitur Abderus heros urbis factus sit, cum stupra puerorum maxime vigebant. Tum Abderitae in eius honorem ludos illos funebres instituerint, quos Philostratus commemorat.

Sane difficile est ad putandum urbem restitutam inde ab anno 543 a Teiis solis habitatam esse. Quod Wilamowitzius Her. I[2], 20[40], quem Gruppius laudat Gr. M. 466, 7, testimoniis quidem non allatis in medium protulit Opuntiorum coloniam Abderam fuisse, hoc tantummodo inde collegisse mihi videtur, quod Abderus secundum memoriam vulgarem Opuntius Locrensis dicebatur, id quod per se facile fieri poterat, quippe qui Herculis comes esse videretur sicut Hylas ille, eadem ratione Dryops factus. Nusquam enim traditum est, nisi omnia me fallunt, Opuntios Abderae incolas fuisse. Sane per se credibile est hinc illinc colonos in oppidum novum convenisse. Satis igitur habemus sumere fabellam paederasticam saeculo VII. vel. VI. excogitatam esse ab Abderae incolis varie commixtis.

c) Perinthus.

Schol. Clem. Al. Protr. 50, 20 Stählin I, p. 315: *τὰ αὐτὰ δὲ καὶ περὶ Πειρίνθου ἱστοροῦνται, ὅτι ἐρώμενος Ἡρακλέους καὶ οὗτος ἐγένετο, καὶ ἀπ' αὐτοῦ ἐκεῖσε ἀποθανόντος καὶ ταφέντος ὑφ' Ἡρακλέους ἡ πόλις Πείρινθος ἐκλήθη.*

Schol. Ap. Rh. Arg. I, 1207: *ἐγένοντο δὲ πολλοὶ ἐρώμενοι Ἡρακλέους· Ὕλας, Φιλοκτήτης καὶ Δίομος καὶ Περιθόας καὶ Φρίξ.* Pro *Περιθόας* enim *Πείρινθος* legendum esse recte monuit Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 Commentar. Gramm. II, 18.

Fabula igitur Perinthiis vindicanda est, Perinthi Thraciae incolis, qui de heroe suo similiter fabulati esse dicuntur atque Abderitae de Abdero.

Similem fabulam similem originem quoque habuisse equidem credo. Wilamowitzius quidem l. l. et Hoeferus RML. s. v. Perinthus opinati sunt fabulam de Perintho recentem esse, tum demum natam, cum Perinthus urbs Heraclea vel Heraclea Perinthus vocari coepit, id quod non ante saeculum IV. post Chr. n. factum esse accepimus. Nomina autem urbis, prius et posterius,

coniuncta fabulae fingendae occasionem dedisse, tametsi sagaciter excogitatum est, tamen nil est nisi mera coniectura neque ullis testimoniis comprobari potest. Praeterea hoc facile is in dubium vocet, qui hanc fabulam cum similibus confert. Itaque aliam coniecturam proferre licet. Nil quidem videtur impedimento esse, quominus putemus priscae illius urbis incolas, quam a. fere 599 conditam esse accepimus,[1]) iam antiquitus de heroe suo fabulatos esse sicut Abderitas de Abdero, praeterquam quod tota fabulae indoles magis e priscorum quam recentium temporum rationibus videtur esse. Priscis enim temporibus potissimum ei Graeci, qui undique a barbaris circumdati remotissima oppida incolebant, si quem, Herculem, summum totius gentis tutorem fautoremque, sequi et tales fabulas confingere solebant, quibus communis patriae conscii firmabantur et continebantur.

Nam Perinthiorum quoque multitudo multimodis commixta videtur fuisse. Cum enim Strabo 331, fr. 41, 56 et Pseudo-Scymnus 714 testentur Samios Perinthi sedisse, aliud vestigium exstat, quod ad Aeolenses spectat. Legitur enim apud Stephanum s. v. *Πέρινθος* urbem nomen accepisse *ἀπὸ Περίνθου Ἐπιδαυρίου τοῦ μετὰ Ὀρέστα στρατευσαμένου*, unde facile conicitur ab Epidauriis hoc provenisse, sicut Hylas et Abderus ipsi quoque colonorum patriam acceperunt.

§ 5.

a) Admetus.

Plutarch. Amat. C. XVII, p. 761 E: *λέγεται δὲ (Ἡρακλῆς) καὶ τὴν Ἄλκηστιν ἰατρικὸς ὢν ἀπεγνωσμένην σῶσαι τῷ Ἀδμήτῳ χαριζόμενος, ἐρῶντι μὲν αὐτῷ τῆς γυναικός, ἐρωμένου δὲ αὐτοῦ γενομένου. καὶ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα μυθολογοῦσιν ἐραστὴν γενόμενον „Ἀδμήτῳ παραθητεῦσαι μέγαν εἰς ἐνιαυτόν.“*

A poeta quodam fictam esse hanc fabulam crediderim, ni fallor Alexandrino.

b) Eurystheus.

Athen. XIII, 603d: *Διότιμος δ' ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ Εὐρυσθέα φησὶν Ἡρακλέους γενέσθαι παιδικά, διόπερ καὶ τοὺς ἄθλους ὑπομεῖναι.*

---

[1]) cf. Euseb. Chronic.

Schol. Tw. O 639: *οἱ δὲ παιδικὰ Ἡρακλέους θέλουσιν Εὐρυσθέα.* Clem. R. hom. V, 15.

Cui non iustam movet mirationem, si audit Eurystheum, Mycenensium vel Tirynthiorum regem, quem Herculi duodecim illos labores mandavisse iam pueri in subselliis didicimus, delicias Herculis fuisse, qui labores illos pro amasio susceperit? Profecto haud inepte Bethius RhM. 1907, p. 455 comparandi causa medii aevi consuetudines in memoriam nostram revocat, quibus temporibus equites itidem ante feminarum oculos fortes se praebere studebant. Attulit Bethius l. l. complura talis amoris exempla e rerum gestarum scriptoribus et verisimile reddidit miram hanc rationem priscis temporibus, certe quidem saeculo VI. et V. iam exstitisse et Aristoteli innotuisse. Itaque Eurystheum tum iam Herculis amasium factum esse veri non est dissimile.

Non mirum quod talis ratio Hellenisticae aetatis poetis arrisit. Diotimus enim ille fabulae auctor Theocriti et Arati aequalis fuit.[1]) Nonne Theocritus quoque hanc rem tangere videtur in carmine XXIX, 37, ubi amatorem pueri cuiusdam formosi ad amasium illum haec loquentem facit:

νῦν μὲν κἤπὶ τὰ χρύσια μᾶλ' ἕνεκεν σέθεν
βαίην καὶ φύλακον νεκύων πέδα Κέρβερον?

Me iudice Theocritus hoc loco de Hercule et Eurystheo cogitat, sicut antea de Achille et Patroclo verba fecerat. Haud scio an Diotimi carmen ei ante oculos versatum sit, paulo forsitan antea promulgatum.

c) Philoctetes.

Schol. Ap. Rh. Arg. I, 1207: *ἐγένοντο δὲ πολλοὶ ἐρώμενοι Ἡρακλέους· Ὕλας, Φιλοκτήτης καὶ Δίομος καὶ Περιθόας καὶ Φρίξ.* Clem. R. hom. V, 15.

Philoctetes Thessalus et Hercules Oetaeus, alter alterius vicinus, facile a poetis priscis fabulis mythisque effingendis coniungi poterant. Revera heroum sodalitas vetustissima videtur fuisse, priscis carminibus celebrata, ut suo iure docuit Wilamowitzius Her. I[1], 321. Atque commemorat Arrianus apud Stobaeum

---

[1]) cf. Steph. Byz. s. v. *Γαργάρα.* Macrob. V, 20.

(I, p. 246 Wachsm.) Herculem et Philoctetam in Oeta monte sacrificiis celebratos esse.

Iam vero haud inepte conieceris amicitiam heroum initio castam fuisse et posterioribus, fortasse Alexandrinorum demum vel Romanorum temporibus, a nescio quo poeta in paederastiam conversam esse.

§ 6.

a) Haemonem

Clem. R. hom. V, 15 inter Herculis amasios refert. Est ille Haemon Creontis Thebani filius, quem Antigonam amasse constat. Haemonem Thebanum revera cum Hercule coniunctum esse testatur Hyginus f. 72: Ille eam (sc. Creon Antigonam) Haemoni filio, cuius sponsa fuerat, dedit interficiendam. Haemon, amore captus, patris imperium neglexit, et Antigonam ad pastores demandavit; ementitusque est, se eam interfecisse. Quae cum filium procreasset, et ad puberem aetatem venisset, Thebas ad ludos venit. Hunc Creon rex quod ex Draconteo genere omnes in corpore insigne habebant, cognovit. Cum Hercules pro Haemone deprecaretur, ut ei ignosceret, non impetravit. At Creon Megaram filiam suam Herculi dedit in coniugium: ex qua nati sunt Therimachus et Ophites. — Praeterea vas Apulum afferri potest (Bull. dell. Inst. 1836, p. 120) cf. Wilamowitz Ind. Gryph. 1880 Commentar. Gramm. II, 13.

b) Chonus.

Clem. R. hom. V, 15.

Wilamowitz Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 15: Chonus, nisi potius Chon revocandus, auctor est Chonum, gentis Italae ad Sirim sitae, ubi frequens Herculis memoria, quam nomen ab Hercule, *Χὼν* ab Aegyptiis vocato, accepisse legimus in Etymologico Magno s. v. Strabo, qui de hac gente multus est sub sexti libri principium, nihil habet, quod huc referatur, sed quomodo fabula nasci potuerit satis iam apertum est.

c) Iocastus.

Clem. R. hom. V, 15.

Wilamowitzius, Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 15, delet hoc nomen pro Iocasto Iolaum legendum esse ratus. Falso me

iudice. Iocastus enim, Aeoli filius, Rhegium condidisse Rhegiique regnasse dicitur. Diod. 5, 8. Schol. Lycophr. 738 Scheer II, p. 237. Est igitur heros Rheginorum, fortasse a Boeotis in Italiam introductus, ut suspicatur Gruppius Gr. M. 368, 398[3], 503[2]. Iam vero Hercules, a quo Heracleum promunturium iuxta ad Rhegium situm nominatum erat, in his quoque regionibus magna veneratione erat. Preller Gr. M. II[3], 214. Peter RML. s. v. Hercules p. 3008, 9. Fabula igitur non potest nisi Rhegii orta esse. Neque alibi heroes coniungi poterant nisi Rhegii. Atque animadverte Rhegium quoque Dorienses habitasse. Strabo VI, 257.

d) Phrix.

Schol. Ap. Rh. Arg. I, 1207: *ἐγένοντο δὲ πολλοὶ ἐρώμενοι Ἡρακλέους· Ὕλας . . . καὶ Φρίξ, ἀφ' οὗ πόλις Λιβύης.* Merkelius in Addendis ad Apollonium monuit, pro *Φρὶξ* legendum esse *Τρὶγξ*, quod nomen ex Strabone XVII, 825 petivit: *πλησίον δὲ καὶ πολίχνιον μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὅπερ Τρίγγα καλοῦσιν οἱ βάρβαροι.*

Est igitur haec fabula Libyca, Hercules ipse Libys, de quo v. Diodor. 4, 17, 18. cf. Preller Gr. M. II[3], 168, 9; 210; 217, 8. In extrema enim Libya quoque Hercules cultus veneratione erat. Scilicet Graeci eum secum in illas regiones duxerant.

§ 7. Fabulae dubiae.

a) Nestor.

Cum alias haec fabula non inveniatur, Philostratum Heroic. p. 165 (108) Teub. e Ptolemaeo Chenno p. 184 Westerm. M. G. pendere, qui hanc fabulam excogitaverit, coniecerunt Hercherus Jahrb. Suppl. I (1885), p. 283, 20 et Türckius Bresl. Phil. Abh. VII, 42. Equidem haereo, quia haec fabula a ratione saepissime iamiam observata non abhorret.

b) Dryops, Polyphemus.

Clem. R. hom. V, 15.

Dryopem et Polyphemum errore Clementis Herculis amasios factos esse probavit Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 15.

Accedit ad Herculis amasios Achilles, de quo infra agam. Complectamur nunc breviter, quae ex fabulis congestis didicerimus.

1. Vidimus plurimas gravissimasque fabulas saeculis VII./V. confictas esse et quidem a populo fabulante, velut Iolai, Sostrati, Diomi, Elacati (?), Eurysthei, Hylae, Abderi, Perinthi fabulas, partim a Doriensibus ipsis fictas, partim eorum auctoritate natas. Unde apparet Graecos illorum temporum, ut paederastiae maxime deditos, cum priscis fabulis, sicut Iolai, amorem intulisse, tum illa sola consuetudine perductos novas fabulas confinxisse, ita ut Herculis historiam fabularem paederastia illa nonnihil variatam et amplificatam esse sumere liceat.

2. Alexandrinae aetatis homines fabulas paederasticas adamasse inde cognovimus, quod illis temporibus poetae modo priscas fabulas amatorias denuo e tenebris protraxerunt velut Hylae, Diomi, Sostrati, Eurysthei, modo fabulas antiquitus castas tum incestas fecerunt, ex. gr. Admeti, Philoctetae (?).

Caput II.

De fabulis paederasticis ad Apollinem pertinentibus.

§ 1. De Apolline puerorum amatore.

Herculi nihil cedit in puerorum amore Apollo.[1]) Ecce amasiorum eius catalogum: Hyacinthus, Atymnius, Branchus, Clarus, Melampus, Potnieus, Phorbas, Hippolytus Sicyonius, Leucates, Zacynthus, Parus, Troilus, Admetus, Hymenaeus, Iapyx, Cyparissus, Amyclas, Scephrus. Praeter eos Helenus Apollinis amasius est apud Ptolemaeum Chennum Nov. hist. 6.

Hercules et Apollo ut omnes alios deos et heroas in paederastia antecederent, certe non fortuito factum est. Nam similiter atque Hercules, Apollo quoque deus erat epheborum, quem in palaestris et gymnasiis colebant.[2]) Accedit aliud. Si enim Hercules et Apollo propter ea tantum quia tutores et fautores iuventutis colebantur, puerorum amatores facti essent, cur idem non Mercurio deo accidit, qui ipse quoque deus erat epheborum, sed in numero paederastarum vix invenitur? Itaque hoc mea quidem opinione non ex alia causa explicari potest, nisi quod ut Hercules ita Apollo quoque imprimis a Doriensibus cultus et in civitatibus Doriensibus magni aestimatus est. Hoc enim constat, quamquam C. O. Mülleri sententia, merum Doriensem fuisse Apollinem, diu iam refutata est.[3])

---

[1]) De similitudine Apollinis et Herculis v. Furtwängler, RML. s. v. Heracles, p. 2189; Preller, Gr. M. II³, 162; C. O. Müller, Dorer I², 418 sqq.; Wernicke, PWR. s. v. Apollon, p. 36, 37; Miller, PWR. s. v. Dores, p. 1553.

[2]) cf. Plutarch. Quaest. Conviv. VIII 4, 4, p. 724, B—D; Wernicke, PWR. s. v. Apollon p. 10 Nr. 6, p. 11 Nr. 7; Roscher, RML. s. v. Apollon p. 442, Nr. 9.

[3]) Et quidem ab his viris doctis: Beloch, RhM. 1890, 578 sqq.; Edu. Meyer, Gesch. d. Alterts. II, 281, 2; Miller, PWR. V, 2 s. v. Dores p. 1553; Wernicke, PWR. s. v. Apollon, p. 6; Wide Lacon. Kulte, 73; Dümmler, Philol. X, 1879, 9.

Atque stupra puerorum quantopere apud Dorienses viguerint, supra iam vidimus. Itaque ad hanc quaestionem absolvendam illam quoque paederastiam afferendam esse quivis concedet. Sed hoc ipsum viri docti mirabile dictu hucusque semper omiserunt, in amoribus puerilibus et Herculem et Apollinem omnes heroas et deos antecellere.

Quibus sane temporibus fabulae fictae sint, singillatim perscrutandum est, ut inde cognoscamus, utrum Wernickius PWR. Apoll 28 recte dixerit plerasque fabulas non ante tempora Alexandrina ostendi posse, necne.

§ 2.

a) Hyacinthus.

Hyacinthum heroem, Amyclae filium, ab antiquissimis temporibus Amyclis Laconicis cultum esse omnes inter constat.

Lelegibus Hyacinthi mythum assignat Deimling. Leleger 124. Atque revera Graeci ipsi hoc memoria retinuisse videntur. nam Hyacinthus Amyclaeus cum Lelege autochthone genealogice coniunctus est. Originem praegraecam Kretschmer probavit Einl. i. d. Gr. Spr. 404: es liegt nahe, nun auch Ὑάκινθος den uralten lokalgott von Amyclai auf die vorgriechische urbevölkerung des Peloponnes zurückzuführen. cf. Fick. Vorgriech. Ortsnamen, p. 58, 113.

Qualis autem ille priscus deus vel heros Amyclaeorum fuerit, praeclare ostendit Rohdius Psyche I², 137 sqq. Erat enim secundum Rohdium daemon subterraneus sepulcrali cultu, libationibus et sacrificiis honoratus, quo honore subterranei dei et mortui frui solent. Barbatus stetit deus in solio Amyclaeo (Pausan. III, 19, 4).

Cum prisco illo Hyacinthi cultu posteris temporibus novus Apollinis cultus coniunctus est, ita ut in Hyacinthiis et Hyacinthus et Apollo colerentur.

Itaque mirum non est mox fabulas ortas esse, quae alterum deum cum altero coniungerent.

Inde autem quod Hyacinthus ut daemon subterraneus eisdem honoribus fruebatur atque mortui, facile fieri poterat, ut ipse mortuus et Amyclis sepultus esse videretur. Iam vero

in eo erat, ut fabulae orerentur, quibus et numinum familiaritas et Hyacinthi mors explicaretur.

Vetustissimum testimonium Helena Euripidea anni 412 praebet vs. 1469 sqq.:

συνελθοῦσα χοροῖς
ἢ κώμοις Ὑακίνθου
νύχιον εἰς εὐφροσύναν,
ὃν ἐξαμιλλησάμενος
τροχῷ ἀτέρμονι δίσκου
ἔκανε Φοῖβος ὅθεν Λακαί-
νᾳ γᾶ βούθυτον ἁμέραν
ὁ Διὸς εἶπε σέβειν γόνος.

Commemorantur hic Apollo et Hyacinthus sodales. Primum amasius Apollinis Hyacinthus occurrit in imagine Niciae, quam Pausanias III, 19. 4 describit vetusto simulacro opponens: *τοῦτο μὲν δὴ τοῦ Ὑακίνθου τὸ ἄγαλμα ἔχον ἐστὶν ἤδη γένεια. Νικίας δὲ ὁ Νικομήδους περισσῶς δή τι ἔγραψεν αὐτὸν ὡραῖον, τὸν ἐπὶ Ὑακίνθῳ λεγόμενον Ἀπόλλωνος ἔρωτα ὑποσημαίνων.* Alexandri Magni igitur aetate — tum enim vixit ille pictor — fabellam paederasticam iam fictam et unicuique notam fuisse sequitur. Ergo veri est dissimile, Hyacinthum a poetis Alexandrinis demum ephebum fictum esse, quod Rohde Psyche I², 138 suspicatus erat. Atque negari nequit locum Euripideum vel amorem indicare posse, etiamsi sane poeta non expressis verbis huius rei mentionem facit.

Nam Euripidem barbatum virum in animo habuisse, quem ita a deo instructum necatumque Amyclaei ludis celebrassent, vix quis Rohdio concedet, praesertim cum respiciat, quantopere stupra puerorum inde ab illis temporibus, quibus Dorienses advenerunt, imprimis Lacedaemone viguerint. Itaque illis iam temporibus, quibus paederastia maxime florebat, i. e. saeculis VII./V., Amyclaeos Hyacinthum ipsum pro vera ephebi specie habuisse, quem deus epheborum, amore inflammatus, disci arte instrueret et casu quodam necaret, coniecerim. Atque revera Hauserus Philol. 52 (1894), 209 sqq. complura vasa Attica attulit, ineunte saeculo V. picta, in quibus Hyacinthum a Zephyro amatum monstrare studuit. Primum vas, a Duride pictum, ephebum exhibet, quem iuvenis quidam ales complectitur.

Neque ruber flos cognominis desideratur. Alterum vas, ipsum quoque ineunte saeculo V. pictum, in sinistra parte ephebum formosum exhibet cycno Apollinis vehentem et κυνοδέσμην manu tenentem, cum in dextra parte item iuvenis ales conspiciatur. In tertii vasis imagine pensiles videmus ephebum εὐχαίτην, lyram manu gerentem, et iuvenem itidem alitem, qui puerum complectitur.

Etiamsi sane hoc monendum est, neque Zephyri neque Hyacinthi nomen picturis adscriptum esse, epheborum imagines revera optime ad Hyacinthum quadrare Hausero concedo. Quod sane attinet ad Zephyros, hoc facile ideo quis in dubium vocet, quod Hyacinthi a Zephyro dilecti non nisi recentissima memoria conscripta exstat. Tamen et Duridis et tertii vasis pictura vix aliter intellegi potest, alterius ita optime.

Quae si recte se habent et Zephyrum iam ineunte saeculo V. Hyacinthi amatorem fictum esse constat, Apollo haud dubie diu iam antea Hyacinthi amator fuit. Nam Zephyrum nonnisi ideo, quod discum in pueri caput iactasse videbatur i. e. post Apollinem in fabulam introductum esse luce clarius est. At cautius erit Hauseri coniecturam satis audacem in rationem non inferre. Hyacinthum ab Apolline dilectum poetae Alexandrini adamaverunt. Commemoro Simiam, Euphorionem, Bionem, Nicandrum.

De Simia auctor est Stephanus s. v. Ἀμύκλαι: *Σιμίας ἐν Μησί* „ὅν ῥ' ἀπ' Ἀμύκλαντος παιδὸς ἀποφθιμένου λαοὶ κικλήσκουσιν", ad quem locum velim conferas Meineke Del. Anthol. 101. Knaack Anal. Al. Rom. 60, Susemihl Gr. Littg. d. Al. Zeit I. 180[35].

Euphorionis fr. 36.

„πορφυρέη ὑάκινθε, σὲ μὲν μία φῆμις ἀοιδῶν
Ῥοιτείης ἀμάθοισι δεδουπότος Αἰακίδαο
εἴαρος ἀντέλλειν, γεγραμμένα κωκύουσαν"

ad Hyacinthi fatum spectare docuit Meineke Anal. Al. 23 et 69, secundum quem poeta aliam floris originem hoc carmine explicavit.

Bionis versus (fr. XIII Wilam. Bucolic. 143) aetatem tulerunt:

Ἀμφασία τὸν Φοῖβον ἕλεν τὸ σὸν ἄλγος ὁρῶντα,
δίζετο φάρμακα πάντα, σοφὰν δ' ἐπεμαίετο τέχναν
χρῖεν δ' ἀμβροσίᾳ καὶ νέκταρι, χρῖεν ἅπασαν
ὠτειλάν. Μοίραισι δ' ἀναλθέα φάρμακα πάντα.

Hyacinthum morientem in florem cognominem transmutatum esse a poetis Alexandrinis fictum esse apparet. Exhibet hanc formam fabulae praeter Euphorionem Nicander Ther. 902 sqq., e quo pendet Ovidius Met. X, 160 sqq. Ad poetas spectant testimonia [Apollodori] bibliothecae III, § 116 et I, § 16, 17 atque Plinii nat. hist. XXI, 66.

b) Atymnius.

Clem. R. hom. V, 15.

Nonnus Dion. IXX, 181 (Maronis verba):

εἰμὶ δὲ Βάκχου,
οὐ θεράπων Φοίβοιο, καὶ οὐ μάθον αἴλινα μέλπειν,
οἷα παρὰ Κρήτεσσιν ἄναξ ἐλίγαινεν Ἀπόλλων,
δακρυχέων ἐρατεινὸν Ἀτύμνιον.

cf. XI, 130, 258; XII, 217; XXIX, 28.

Fabula igitur Nonno pernota fuit, qui obiter Atymnii mentionem facit sicut aliis locis Ganymedis, Pelopis, Hyacinthi, Hylae, Admeti, aliorum pulchrorum. Quaeritur iam, unde Atymnium noverit. Atque facile conicias eum Alexandrinorum carmina secutum esse. Neque hoc veri est dissimile Aegyptio poetae catalogum quendam pulchrorum praesto fuisse, similem eius, quem Hyginus f. 271 praebet. Itaque sane Atymnii memoriam quoque priscam et genuinam fuisse concludi debet.

Herois nomen non Graecum est sed Caricum. Gruppe Gr. M. 960[12]. Tümpel PWR. II, 2260. Praeterea scimus eum in Creta a Gortyniis heroem cultum esse. Solinus XI, 9: Idem Gortynii et Atymnium colunt Europae fratrem: ita enim memorant. videtur hic et occurrit sed die iam vesperato angustiore se facie visendum offerrens. — Itaque Atymnium olim Carum, priscorum Cretae incolarum, deum solarem fuisse cum Tümpelo crediderim.

Qui heros posteris temporibus, sicut Hyacinthus ab Amyclaeis, a Cretensibus fabulantibus cum Apolline coniunctus est. Itaque facile nova fabula confingi potuit, Atymnium Apollinis aurigam fuisse. Amasium prima aetate iuvenili fato functum deus conqueritur. Atque inde vel ritus quidam Cretensium natus sit, qui conquestiones dei de brevi amasii vita repraesentaret.

Fabellam talem antiquitus in ore Cretensium fuisse, quamquam mera est coniectura, tamen verisimile fit, si respicis, quantopere stupra puerorum in civitatibus Doriensibus viguerint.

§ 3.

a) Branchus.

Callimachus: a) Hephaest. De metris C. 9: *καὶ τῷ πενταμέτρῳ δὲ Καλλίμαχος ὅλον ποίημα τὸν Βράγχον συνέθηκε.*

b) Terentian. Maur. De metris v. 1885 sqq.:

> nec non et memini pedibus quater his repetitis
> hymnum Battiadem Phoebo cantasse Iovique
> pastorem Branchum, quem captus amore pudico
> fatidicas sortes docuit depromere Paean.

Varro. Schol. Stat. Theb. VIII, 198: Varro rerum divinarum ita refert de Brancho: Cius quidam decimus ab Apolline cum in peregrinatione pranderet in litore ac deinde proficisceretur. oblitus est filium nomine Smicrum. ille pervenit in saltum Patronis cuiusdam, et cum esset receptus, coepit cum suis pueris capras pascere. aliquando prehenderunt cygnum et illum veste cooperuerunt. et dum ipsi pugnant, uter illum patri munus offerret, cum essent fatigati certamine. reiecta veste mulierem invenerunt. et cum fugerent, revocati ab ea moniti sunt. ut Patron unice Smicrum diligeret puerum. illi quae audierunt Patroni indicarunt. tunc Patron Smicrum pro suo filio nimio dilexit affectu eique filiam suam ducendam locavit uxorem. illa cum praegnans esset ex eo. vidit in somniis per fauces suas introisse solem et exisse per ventrem. infans editus ideo Branchus vocatus est, quia mater eius per fauces sibi viderat uterum penetrasse. hic cum in silvis Apollinem osculatus fuisset, comprehensus est ab eo et accepta corona virgaque vaticinari coepit et subito nusquam comparuit. templum ei factum est, quod Branchiadon nominatur. Et Apollini et filio pariter consecrata sunt templa. quae ab osculo Branchi sive certamine puerorum Philesia nuncupantur.

Conon Narr. 33: . . . *καὶ ὡς ὁ Σμῖκρός τινος τῶν ἐν Μιλησίοις ἐνδόξων θυγατέρα γαμεῖ . . . καὶ ἔτεκε κόρον, Βράγχον ἀπὸ τοῦ ὀνείρου καλέσασα, ὅτι ὁ ἥλιος αὐτῆς διὰ τοῦ βράγχου διεξῆλθε. καὶ ἦν ὁ παῖς κάλλιστος ἀνθρώπων, καὶ αὐτὸν ἐφίλησεν*

ἐρασθεὶς Ἀπόλλων, εὑρὼν ποιμαίνοντα ἔνθα βωμὸς Ἀπόλλωνος φιλίου ἵδρυται. ὁ δὲ Βράγχος ἐξ Ἀπόλλωνος ἐπίπνους μαντικῆς γεγονὼς ἐν Διδύμοις τῷ χωρίῳ ἔχρα. καὶ μέχρι νῦν χρηστηρίων Ἑλληνικῶν ὧν ἴσμεν μετὰ Δελφοὺς κράτιστον ὁμολογεῖται τὸ τῶν Βραγχιδῶν.

Strabo XIV, 634: μετὰ δὲ τὸ Ποσείδιον τὸ Μιλησίων ἑξῆς ἐστι τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος τὸ ἐν Βραγχίδαις . . . ἐνταῦθα δὲ μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Βράγχον καὶ τὸν ἔρωτα τοῦ Ἀπόλλωνος.

cf. Lucian. deor. dial. II, 2. Longus IV, 17, 6.

Philost. Ep. 5 (p. 226 K.), 8 (p. 228 K.), 57 (p. 251 K.).

Clemens R. hom. V, 15.

Fabulam in ore populi vel sacerdotum fuisse statim constat, nam artissime cohaeret cum sacro cultuque Didymaeo.

Intricata autem quaestio est, quo tempore et quem ad finem Branchus Apollinis amasius factus sit. Sacrum illud Didymaeum revera vetustissimum fuisse testatur Pausanias VII, 2, 4. Itaque fabellam ipsam quoque priscam fuisse per se veri simile possit videri. Alexandri Magni demum temporibus sacerdotes Didymaeos de Brancho fabulari coepisse vix quis Wernickio PWR Apoll 28 concedet. Nam Callimachum primum auctorem esse mirationem non movet. Non aliter res se habet in Hylae fabula, aliis. Alexandrini poetae enim ideo imprimis tales fabulas remotiores minusque notas indagare studebant, quod illius aetatis hominibus admodum placebant. Apollinem Didymaeum vero *Φίλιον* vel *Φιλήσιον* nuncupari,[1]) nempe quia Branchum amasse putabatur, certo prisca memoria est. Accedit quod fabula ipsa ab obsoletissimis rationibus prodiit.

Quemadmodum enim Didymaei fabulam intellexerint, ex testimoniis supra allatis facile cognoscitur. Atque Branchi amor valde differt ab aliorum! Nam hoc amore vaticinatio sacerdotis explicatur. Putabant igitur Didymaei Branchum artissimo corporis complexu quasi *ἔνθεον* factum esse, sicut Sibylla et Pythia ipsae quoque Apollinis semine *ἔνθεοι* factae

---

[1]) cf. Varro l. l. *Φιλήσια* = sacra Apollinis *Φιλησίου* — cf. Conon l. l. *βωμὸς Ἀπόλλωνος φιλίου.* legendum est *Φιλησίου.* — Meminit Apollinis *Φιλησίου* etiam Macrob. Saturn. I, 17.

sunt. cf. Bethe RhM. 62 (1907), 467. Eius modi fabulas Hellenistica demum aetate fictas esse ab omni veri similitudine abhorret.

b) Clarus.

Philostr. ep. 5 (p. 226 K.): *πόθεν εἶ, μειράκιον; εἰπέ, ὅτι οὕτως ἀτέγκτως πρὸς ἔρωτας ἔχεις; ἐκ Σπάρτης ἐρεῖς; οὐκ εἶδες οὖν Ὑάκινθον . . .; ἀλλ' ἀπ' Ἰωνίας; καὶ τί τῆς γῆς ἐκείνης ἁβρότερον, ὅπου Βράγχοι καὶ Κλάροι οἱ Ἀπόλλωνος καλοί.*

Clarum heroem eponymum Clari oppidi, ad Colophonem siti, simili ratione Apollinis amasium factum esse atque Branchum facile intellegitur. Alteram causam qua Clari divinandi facultatem explicarent, invenerunt fabulam, quam Eutecnius Metaphr. Nicandr. Alex. 11 refert: Apollinis et Creusae filium eum fuisse.

Hanc quoque fabulam paederasticam olim in ore populi fuisse in propatulo est; Apollinis Clarii quidem oraculum sicut Didymaei vetustissimum fuisse accepimus. Paus. VII, 3, 1.

c) Melampus.

Schol. Laur. Apoll. Rhod. Arg. A 118: *ἐν δὲ ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις λέγεται ὡς ἄρα Μελάμπους φίλτατος ὢν τῷ Ἀπόλλωνι ἀποδημήσας κατέλυσε παρὰ Πολυφάντῃ . . .*

Melampodem celeberrimum illum vatem et medicum simili ratione atque Branchum Apollinis amasium factum esse apparet.

d) Potnieus.

Clem. R. hom. V, 15.

Potnieus Potniarum oppidi Boeotici heros eponymus facile Apollinis amasius fieri poterat. Nam Apollinem antiquitus illis in regionibus magna veneratione fuisse evicit Maassius (Orpheus 131[8]).

e) Phorbas.

Hygin. astr. II, 14: Nonnulli etiam Triopan Thessalorum regem dixerunt; . . . Polyzelus autem Rhodius hunc Phorbanta nomine demonstrat, qui Rhodiis auxilio maximo fuisse demonstratur; nam cum eorum insulam, serpentium multitudine occupatam, cives Ophiussam appellassent, et in ea multitudine ferarum draco fuisset ingenti magnitudine, qui plurimos eorum

interfecisset, et patria denique deserta carere coepisset, dicitur Phorbas Triopae filius ex Hiscilla Myrmidonis filia natus, eo tempestate delatus, omnes feras et eum draconem interfecisse. qui cum maxime Apollini dilectus esset, locatus inter sidera dicitur, ut interficiens draconem laudis et memoriae causa videretur.

Plutarch. Numa C. 4, p. 62: *καὶ οὐ πλημμελοῦσιν οἱ τὸν Φόρβαντα καὶ τὸν Ὑάκινθον καὶ τὸν Ἄδμητον ἐρωμένους Ἀπόλλωνος γεγονέναι μυθολογοῦντες.*

Primus amoris testis igitur Polyzelus Rhodius est, qui temporibus Alexandrinis vixit et *Ῥοδιακὰ* scripsit. Vix autem credibile est geographum historicumve talia de suo finxisse. Poetarum testimonia desiderantur. Unde igitur Polyzelus fabulam noverit, disceptari nequit, sed suspicio nascitur fabulam in ore Rhodiorum[1]) fuisse.

§ 4. Hippolytus Sicyonius.

Plutarch. Numa C. 4, p. 62: *καὶ οὐ πλημμελοῦσιν οἱ τὸν Φόρβαντα καὶ τὸν Ὑάκινθον καὶ τὸν Ἄδμητον ἐρωμένους Ἀπόλλωνος γεγονέναι μυθολογοῦντες, ὥσπερ αὖ καὶ τὸν Σικυώνιον Ἱππόλυτον, οὗ δὴ καί φασιν ὁσάκις τύχοι διαπλέων εἰς Κίῤῥαν ἐκ Σικυῶνος, αὐτῷ χρᾷν τὴν Πυθίαν, οἷον αἰσθανομένου τοῦ θεοῦ καὶ χαίροντος, ἀποθεσπίζειν τόδε τὸ ἡρῷον·*

καὶ δ' αὖθ' Ἱππολύτοιο φίλον κάρα εἰς ἅλα βαίνει.

Hippolytus occurrit in Sicyoniorum fabulis apud Pausan. II, 6, 7: *μετὰ δὲ Ζεύξιππον τελευτήσαντα Ἀγαμέμνων στρατὸν ἤγαγεν ἐπὶ Σικυῶνα καὶ τὸν βασιλέα Ἱππόλυτον Ῥοπάλου παῖδα.* Fabula illa amatoria indicare videtur, Sicyonios summa Delphorum familiaritate usos esse. Itaque Sicyonia est. Prorsus poetam quendam fabulam tractasse manifestum est.

[1]) A. Becker de Rhodior. primordiis (Comment. phil. Jenenses II, 1883, p. 91 sqq. cf. Bursian Jahrb. 1889 (60), III, p. 411) inde quod nomen Phorbantis a verbo *φέρβειν* derivandum sit, coniecit Phorbanta priscum Rhodiorum deum pecoris fuisse ac quidem haud diversum ab illo Apolline Epimelio vel Carneio ipso. Quae si recte se habent, amicitia Apollinis et Phorbantis similem originem videtur habuisse atque ea Apollinis et Atymnii. Propter magnam similitudinem tum deus iam evanescens cum vigenti coniunctus est.

§ 5.

a) Leucates.

Serv. Verg. Aen. III, 279: Varro enim templum Veneri ab Aenea conditum, ubi nunc Leucas est, dicit: . . . [de Phaone] . . . unde nunc auctorare se quotannis solent qui de eo monte iaciantur in pelagus. quidam id fieri propter Leucaten puerum dicunt, quem cum Apollo vellet rapere, in mare se proiecit montemque cognominem sibi fecit.

Fabella in ore populari Leucadio fuit, quippe quae cum Apollinis Leucadii cultu arte cohaereat. Strabo X. 452. Toepffer RhM. 43 (1888), 142 sqq. C. O. Müller Dorer I². 232 sq.

Leucadis enim insulae incolae Dorienses erant, qui Corintho illuc emigraverant cultumque illum haud dubie Corintho, ubi frequens Apollinis cultus erat, secum apportaverant.

b) Zacynthus.

Clem. R. hom. V, 15.

Locum Clementis omnino delet Lagardius editor, quem laudat Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II. 13 sq. Falso me iudice. Nam Zacynthus unde in pulchrorum catalogos venerit, colligam.

Fabula enim similis est atque Perinthi, Abderi, Leucatis, aliorum, quoniam in Zacyntho insula quoque Plutarcho Dion 23 p. 967 teste Apollo magna veneratione erat et templum habebat, atque hanc quoque insulam inde ab ol. 101, 4 (373) Laconici Dorienses incolebant. Xenoph. Hell. VI, 2, 3. Diod. XV, 45. Veri ideo est simile Zacynthios fabulantes tali consuetissima ratione heroem suum cum deo plurimi aestimato coniunxisse.

c) Parus.

Clem. R. hom. V, 15.

Apollinem a Pariis magna veneratione honoratum esse constat. Wernicke PWR. Apoll. p. 77, No. 32. Itaque sane veri est simile eos Parum, insulae heroem eponymum, dei amasium fecisse.

Haud scio an Callimachus hunc amorem tetigerit, qui Pariorum res in Aetiis celebravit. cf. Schneider Call. II fr. 155. 368. Ait. IV, 3, p. 111.

d) Troilus.

Clem. R. hom. V, 15.

Troilum Troianum, Priami filium, Apollinis amasium fuisse, inde quod in epheborum catalogum receptus est, memoriam quandam fuisse opinor. Non mirum quod alibi — [Apoll.] bibl. III, § 151 — filius dei dicitur, si de Branchis, Claris cogitamus! Quam memoriam vetustissimam fuisse monet Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 13. Atque ad Thymbraei Apollinis aram Troilum ab Achille amatore interfectum esse infra videbimus.

§ 6.

a) Admetus.

Callimachus Hymn. Ap. 47:

Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν ἐξέτι κείνου
ἐξότ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους
ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Schol. Eurip. Alc. 1: *Ῥιανὸς δέ φησιν ὅτι ἑκὼν (Ἀπόλλων) ἐδούλευσεν αὐτῷ ἐρῶν τοῦ Ἀδμήτου.*

Ovid. Heroid. V, 151:

me miseram, quod amor non est medicabilis herbis!
deficior prudens artis ab arte mea.
ipse repertor opis vaccas pavisse Pheraeas
fertur et a nostro saucius igne fuit.

— Ars amat. II, 239:

Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheraei
fertur et in parva delituisse casa.
Quod Phoebum decuit, quem non decet?

Tibull. II, 3, 10:

Pavit ed Admeti tauros formosus Apollo
nec cithara intonsae profueruntve comae
nec potuit curas sanare salubribus herbis.
Quidquid erat medicae vicerat artis amor.
Quisquis inornatumque caput crinesque solutos
adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phoebe!, tua est, ubi Delphica Python?
Nempe amor in parva te iubet esse casa.
Felices olim, Veneri cum fertur aperte
servire aeternos non puduisse deos.
Fabula nunc ille est.

III, 4, 65 (Apollinis verba):

saevus amor docuit verbera saeva pati.
me quondam Admeti niveas pavisse iuvencas
non est in vanum fabula ficta iocum.

Plutarch. Amat. C. XVII, p. 761 E: *καὶ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα μυθολογοῦσιν ἐραστὴν γενόμενον*

„*Ἀδμήτῳ παραθητεῦσαι μέγαν εἰς ἐνιαυτόν.*“

cf. Numa C. IV, p. 62. Philostr. Ep. 57 (p. 251 K.). Clemens R. hom. V, 15. Nonnus Dion. X, 323.

Apollinem apud Admetum servi muneribus functum esse et regem saepe adiuvisse prisca memoria est. Amicitia nondum impudica est apud Euripidem, in cuius Alcestide Athenagoram *πρεσβ. περὶ Χριστ.* 21 falso nequitiam invenisse recte monet Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 13. Amasius dei Admetus primum apud Callimachum est. Quod non antiquitus traditum, sed Alexandrinorum, ut ita dicam figmentum ludibundum esse constat. C. O. Müller Dorer I², 325. Quaeritur iam, utrum Cyrenaeus Admetum de suo amasium dei finxerit, an aliunde receperit. Atque ideo, quod obiter tantum paucis verbis rem memorat, priorum poetarum narrationem, tum iam omnino notam tangere mihi videtur. Iam vero scimus prioris Hellenisticae aetatis poetas velut Phanoclem, Alexandrum Aetolum, alios narrationes tales amatorias ipsas adamasse et saepius carminibus catalogicis celebrasse. cf. Skutsch, aus Verg. Frühzeit 53. Itaque Admeti amorem Callimachum inde iam traditum accepisse crediderim, quem fusius a poetis Alexandrinis tractatum esse poetae Romani testes sunt, quos Alexandrinorum carmina manibus trivisse constat.

b) Hymenaeus.

Antoninus Liberalis XXIII: *ἐγένετο δ' αὐτῷ* (Magneti) *παῖς περίβλεπτος τὴν ὄψιν Ὑμέναιος. ἐπεὶ δὲ Ἀπόλλωνα ἰδόντα ἔρως ἔλαβε τοῦ παιδὸς καὶ οὐκ ἐξελίμπανε τὰ οἰκία τοῦ Μάγνητος, Ἑρμῆς ἐπιβουλεύει τῇ ἀγέλῃ τῶν βοῶν τοῦ Ἀπόλλωνος.* Fabellam satis ludibundam ipsam quoque a poetis Alexandrinis provenisse veri est simile, nam ei auctores et poetae, qui ab

Antonino citantur, ad unum omnes Alexandrini sunt sicut Didymarchus, Apollonius Rhodius, Pamphilus, Antigonus Carystius, Nicander, id quod recte iam perspexit Wernickius PWR s. v. Apoll p. 29. Nam iure suo docet vix Hesiodum incestum amorem iam perhibuisse. cf. Kinkel FE fr. 167. Fabellam in ore Magnetum fuisse, ut Sauerus RML s. v. Hymenaeus vult, equidem non crediderim.

c) Iapyx.

Vergil. Aen. XII, vs. 391 sqq.:

Iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapyx
Iasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artis, sua munera, laetus Apollo
Augurium citharamque dabat celerisque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit et mutas agitare inglorius artis.

Iam dudum viri docti recte cognoverunt hunc Iapygem a Vergilio ipso fictum esse, ut illum Homeri locum imitaretur, ubi Machaon medicus ad Menelaum vocatur eiusque vulnera sanat. Δ 193. Ribbeck Verg. Tom. III, 414. Forbiger Verg. III^4, 568. Atque laudat Servius poetam, quod nomen ad medicum aptissimum sibi excogitaverit: nam *ἰᾶσθαι* Graeci dicunt „curare“. — Amasium Apollinis autem Iapygem ideo fecit, quia is deus paederasta esse videbatur. Praeterea praeclare observavit, quod in historia fabulari Graeca saepissime solet fieri, prophetas, oraculorum vel sacrorum sanctorum conditores, medicos, alios cum eo deo amore vel necessitudine quadam coniungi, a quo artem vel vaticinandi facultatem accepisse videantur.

d) Cyparissus.

Ovid. Met. X, 106 sqq.:

Adfuit huic turbae metas imitata cupressus,
nunc arbor, puer ante deo dilectus ab illo,
qui citharam nervis et nervis temperat arcum.
namque sacer nymphis Carthaea tenentibus arva
ingens cervus erat, lateque patentibus altas
ipse suo capiti praebebat cornibus umbras
:

Sed tamen ante alios, Ceae pulcherrime gentis,
gratus erat, Cyparisse, tibi.
hunc puer inprudens iaculo Cyparissus acuto
fixit; et ut saevo morientem vulnere vidit,
velle mori statuit. quae non solacia Phoebus
dixit, et ut leviter pro materiaque doleret
admonuit! gemit ille tamen munusque supremum
hoc petit a superis, ut tempore lugeat omni
iamque per immensos egesto sanguine fletus
in viridem verti coeperunt membra colorem.

cf. Servius Verg. Aen. III, 64. Probus Verg. Georg. II, 84.

Fabella igitur metamorphosin hominis narrat, quo genere aetas Alexandrina gaudebat. Confer Nicandri *Ἑτεροιούμενα*, Boii Ornithogoniam, Metamorphoses Partheni, Theodori, Didymarchi, Antigoni Carysti *Ἀλλοιώσεις*. Ne quaeras in talibus narratiunculis priscos mythos cuiusvis regionis nec fabulas antiquitus in ore populi viventes! Itaque non magni faciam, quod Cyparissus apud Ovidium Carthaeae, Cei insulae oppidi, incola est, vel apud Probum Chius occurrit, sicut Gruppius Gr. M. 236[10], qui iudicat fabellam a Locrensibus importatam in ore Ceorum fuisse. Rectius de origine fabulae iudicavit Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 13, qui eam a poeta quovis Alexandrino fictam esse putat, quem Ovidius et scholiastae Vergiliani secuti sint.

Praeter Apollinem Zephyrus amator est pueri apud Servium Verg. Aen. III, 680 et Nonnum Dion. XI, 364, Silvanus saepius apud Servium.

e) Amyclas.

Clem. R. hom. V, 15. Fabulam errori Clementis tribuit Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 13, cui assentitur Wernickius PWR. Apoll p. 28. Sed fugisse videtur Wilamowitzium locus Aristidis oratoris XI, 140 : . . . *τιμηθεὶς ὑπὸ Ἀπόλλωνος πατρῴου κατὰ ταὐτὰ Ἀμύκλᾳ καὶ Ναρκίσσῳ καὶ Ὑακίνθῳ καὶ εἰ δή τις ἄλλος ἐπὶ εἴδει καλῷ κρείττονα ἢ κατ' ἄνθρωπον ἀρετὴν ἐκτήσατο.* Itaque revera rara talis ratio exstitit.

§ 7. Fabulae dubiae.

a) Scephrus.

Pausan. VIII, 53, 2: *τῷ δὲ Ἀπόλλωνι οἱ Τεγεᾶται τῷ Ἀγυιεῖ τὰ ἀγάλματα ἐπ' αἰτίᾳ φασὶν ἱδρύσασθαι τοιᾷδε. Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν ἐπὶ πᾶσαν λέγουσι χώραν τιμωρεῖσθαι τῶν τότε ἀνθρώπων ὅσοι Λητοῦς, ἡνίκα εἶχεν ἐν τῇ γαστρί, πλανωμένης καὶ ἀφικομένης ἐς τὴν γῆν ἐκείνην οὐδένα ἐποιήσαντο αὐτῆς λόγον. ὡς δὲ ἄρα καὶ ἐς τὴν Τεγεατῶν ἐληλυθέναι τοὺς θεούς ἐνταῦθα υἱὸν Τεγεάτου Σκέφρον προσελθόντα τῷ Ἀπόλλωνι ἐν ἀπορρήτῳ διαλέγεσθαι πρὸς αὐτόν· Λειμὼν δὲ — ἦν δὲ καὶ ὁ Λειμὼν οὗτος Τεγεάτου τῶν παίδων — ὑπονοήσας ἔγκλημα ἔχειν ἐς ἑαυτὸν τὰ ὑπὸ Σκέφρου λεγόμενα, ἀποκτίννυσιν ἐπιδραμὼν τὸν ἀδελφόν. καὶ Λειμῶνα μὲν τοξευθέντα ὑπὸ Ἀρτέμιδος περιῆλθεν αὐτίκα ἡ δίκη τοῦ φόνου· Τεγεάτης δὲ καὶ Μαιρὰ τὸ μὲν παραυτίκα Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι θύουσιν.*

Scephrus Tegeates utrum Apollinis amasius ducendus sit necne, non satis apparere mihi videtur.

b) Amarynthus.

Est hoc fictum a Schneidewino, qui incertissimum et corruptissimum illum versum 211 hymni Homerici in Apollinem, cuius verba secundum lectionem vulgatam haec sunt:

„*ἢ ἅμα Φόρβαντι Τριόπῳ γένος ἢ ἅμ' ἐρευθεῖ*“ [1])

corrigere volebat et putabat hoc in versu de amoribus puerilibus agi. Alii Erechtheum ex *ἐρευθεῖ* aenigmate enucleare volunt. Res igitur incertissima. cf. Gemoll H. H. p. 107, 155 sq. Wernicke PWR. Apoll. p. 28, 9.

c) Carnus.

Schol. Theocr. V, 83: [*τὰ Κάρνεα*] *Πράξιλλα* (*Πραξιλᾶς* del.) *μὲν ἀπὸ Καρνείου φησὶν ὠνομάσθαι, τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης υἱοῦ, ὃς ἦν ἐρώμενος τῷ Ἀπόλλωνι, Ἀλκμὰν δὲ ἀπὸ Καρνέου τινὸς Τρωικοῦ.* Est hoc secundum Wernickium PWR. Apoll p. 28, 9 falsa interpretatio carminis Praxillae, quae Pausania III, 13, 5

---

[1]) codd. *ἢ ἅμα Φόρβαντι Τριόπῳ* (*Τριοπῷ* M.) *γένος, ἢ ἅμ' ἐρευθεῖ* (*ἐρεχθεῖ* M.; *ἐρεθεῖ* L.).

(= fr. 7 Bgk) teste narraverat Carnum ab Apolline et Latona esse educatum. Sed apud Alcmanem quoque Carneum amasium dei fuisse conici potest.

d) Cinyras.

Clem. R. hom. V, 15.

Cinyras, rex ille Cyprius et pater Adonidis, unde in pulchrorum catalogos venerit, recte perspexerunt Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 13 et Gruppius Gr. M. 1253[5]. Canit enim Pindarus N. 8, 18 sqq.:

κελαδέοντι μὲν ἀμ-
φὶ Κινύραν πολλάκις
φᾶμαι Κυπρίων, τὸν ὁ
χρυσοχαῖτα προφρόνως ἐφίλησ' Ἀπόλλων
ἱερέα κτίλον Ἀφροδίτας.

Quibus versibus corrupti saeculi consuetudo nequitiam intulit. Putabant enim Cyprii Cinyram celeberrimum Veneris et Adonidis cultum condidisse et carmina festiva neniasque illius cultus invenisse et instituisse, quam ob rem Cinyras saepius quoque inter priscos poetas et musicos enumeratur et cum Orpheo, Lino, aliis comparatur, quos ipsos quoque fabulis cum Apolline poetarum musicorumque fautore coniunctos videmus. Itaque *ἔνθεος* videbatur esse. Neque mirum quod alibi filius dei dicitur. cf. Schol. Pind. P. II, 27. Schol. Theocr. I, 107. Hesych. s. v. *Κινύρας*.

e) Orpheus.

Clem. R. hom. V, 15.

Sumptus est ex Pindaro P. IV, 176:

ἐξ Ἀπόλλωνος δὲ φορμικτὰς ἀοιδᾶν πατήρ
ἔμολεν, εὐαίνητος Ὀρφεύς.

cf. Wilamowitz Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 13. Gruppe Gr. M. 1253[5].

f) Hylas.

Clem. R. hom. V, 15.

Error est Clementis, ut recte perspexit Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, p. 13, qui Hippolytum restituere vult, ad Plutarchum Numa C. 4, p. 62 provocans, qui cum Hyacintho, Phorbante, Admeto Hippolytum enumerat.

g) Olympus.

Poetarum aliorumve auctorum argumenta desiderantur. Putabat autem Robertus Arch. Jahrb. V (1890) 229 sqq. Olympum in pluribus artificiis Apollinis amasium fictum esse et coniciebat hanc rationem prius exstitisse, quam qua Marsyae delicatus est. Sagaciter excogitatum. Tamen adstipulor Wernickio PWR. Apoll. p. 28, rem dubiam manere.

Iam complectamur breviter, quid ex fabulis intellegatur!

1. Wernickio PWR. Apoll p. 28, 9, qui putat non ante tempora Alexandrina Apollinem puerorum amatorem fuisse adstipulari non iam possum, quoniam verisimile reddidi Hyacinthum, Branchum, Melampodem priscis iam temporibus Apollinis amasios fictos esse. Atque tum suspicio nascitur multas atque alias fabulas, imprimis eas, quae ex cultibus originem duxerunt et populo fabulanti debentur, ipsas quoque priscis iam temporibus excogitatas esse, velut Atymnii, Hippolyti, Clari, Potniei, Leucatis, Phorbantis, Zacynthi, Pari fabulas.

2. Poetas Alexandrinos fabulas amatorias adamasse, iterum inde cognoscas, quod Admetum, Hymenaeum, Cyparissum primi amasios dei fecerunt, Hyacinthi fabulam multifariam tractaverunt.

3. Iam in calce capitis hoc moneam, Apollinis amasios ab Herculis aliquid differre. Herculis enim amasii maximam partem *παραστάται* erant, qui heroem ad proelia periculaque comitabantur velut Iolai, Abderi, Hylae, alii. Apollinis deliciae maximam partem sacerdotes, musici, medici, sacrorum conditores sunt, a deo inspirati velut Branchi, Clari, Melampodes, Pari, Zacynthi, Cinyrae, Orphei, Iapyges, vel dei evanescentes cum vigenti coniuncti velut Hyacinthus, Atymnius, Phorbas (?).

Caput III.

De Ganymede.

Longe celeberrima tritissimaque omnium fabularum paederasticarum historiae fabularis Graecae illa fuit fabula, quae est de Iove et Ganymede. Ideo enim, quod in ea summus deus ipse puerorum amori indulgebat, Graeci quasi ius paedicandi ex ea derivare solebant. Itaque huius ipsius fabulae originem rationemque indagare et accuratius sciscitari operae est pretium.

§ 1.

Primum iam quaeritur, utrum origo mythi apud Graecos ipsos quaerenda sit, necne. Qua de re viri docti varias sententias protulerunt. Kaibelius G. G. N. 1901, 493 sqq. ex. gr. iudicat Ganymedem ab initio deum Asiaticum paedicatorum fuisse. cf. Bursian Jahrb. 137 (1907) Suppl. p. 497. Bethius RhM. 1907, p. 449 contra putat cultum et mythum Ganymedis — non fabulam amatoriam — iam ante Graecorum invasionem in Graecia viguisse apud priscos Graeciae incolas; postea a Graecis receptum esse.

Equidem credam originem mythi Graecanicam fuisse, id quod plurimi viri docti existimant. Nam Ganymedem origine Graecum fuisse, satis effici posse mihi videtur ex nomine eius, quod facillime e lingua Graeca derivari potest. Haud enim dubie nomen herois derivatum est a verbis Graecis *γάνυμαι, γάνος* et *μῆδος*. Fick-Bechtel Gr. Personn. 370, 384. Ganymedes enim, si priscus Carum vel Phrygum deus fuisset, certo aliud nomen haberet. Neque veri est simile Ganymedis nomen e nomine Phrygio vel Carico prodisse, vel mutilatum in linguam Graecam receptum esse. Sed me iudice Graeci ipsi hoc nomen finxerunt, ut naturam herois exprimerent.

Atque simillima ratione Iuventus dea apud Phliasios antiquitus Ganymeda appellabatur. Paus. II, 13, 3: *ἔστι γὰρ ἐν τῇ Φλιασίων ἀκροπόλει κυπαρίσσων ἄλσος καὶ ἱερὸν ἁγιώτατον ἐκ παλαιοῦ· τὴν δὲ θεὸν ἧς ἐστι τὸ ἱερὸν οἱ μὲν ἀρχαιότατοι Φλιασίων Γανυμήδαν, οἱ δὲ ὕστερον Ἥβην ὀνομάζουσιν.*

Qui consensus Ganymedae Phliasiae et Iuventutis deae tam bene quadrat et ad etymologiam et ad perpetuam notionem ephebi formosi, ut sane concludere liceat et Ganymedem et Ganymedam antiquitus numina quaedam benigna in se posita fuisse. Nam priscam illam Phliasiorum deam a Ganymede ipso nomen accepisse vix credam. Per se haud dubie numina similia nomina similia nancta sunt.

§ 2.

Tres novimus locos unde Ganymedem raptum esse fama fuit:

1. in Troade: Strabo XIII, 587: *ἐν δὲ τῇ μεθορίᾳ τῆς Κυζικηνῆς καὶ τῆς Πριαπηνῆς ἔστι τὰ Ἁρπάγια τόπος, ἐξ οὗ τὸν Γανυμήδην μυθεύουσιν ἡρπάχθαι· ἄλλοι δὲ περὶ Δαρδάνιον ἄκραν, πλησίον Δαρδάνου.*

cf. Hom. E 265. Y 232.

2. in Creta: Plato Leg. I, p. 636: *πάντες δὲ δὴ Κρητῶν τὸν περὶ Γανυμήδη μῦθον κατηγοροῦμεν ὡς λογοποιησάντων τούτων ἐπειδὴ παρὰ Διὸς αὐτοῖς οἱ νόμοι πεπιστευμένοι ἦσαν γεγονέναι, τοῦτον τὸν μῦθον προστεθηκέναι κατὰ τοῦ Διός, ἵνα ἑπόμενοι δὴ τῷ θεῷ καρπῶνται καὶ ταύτην τὴν ἡδονήν.*

3. in Euboea: Athen. XIII, 601 F.: *ὅλως δὲ τούς παιδικοὺς ἔρωτας τῶν ἐπὶ ταῖς θηλείαις προκρίνουσι πολλοί. Κρῆτες γοῦν, ὡς ἔφην, καὶ οἱ ἐν Εὐβοίᾳ Χαλκιδεῖς περὶ τὰ παιδικὰ δαιμονίως ἐπτόηνται. Ἐχεμένης γοῦν ἐν τοῖς Κρητικοῖς οὐ τὸν Δία φησὶν ἁρπάσαι τὸν Γανυμήδην ἀλλὰ Μίνωα. οἱ δὲ προειρημένοι Χαλκιδεῖς παρ' αὐτοῖς φασιν ἁρπασθῆναι τὸν Γανυμήδην ὑπὸ τοῦ Διὸς καὶ τὸν τόπον δεικνύντες Ἁρπάγιον καλοῦσιν, ἐν ᾧ καὶ μυρρίναι διάφοροι πεφύκασιν.*

Ganymedem peregre ac quidem ex hesperiis regionibus in Asiam importatum esse veri est simile,[1]) nam primum uterque

[1]) Ganymedis cultum ex Asia in Graeciam venisse, Ganymedem ipsum ex Asiatico Cretensem factum esse falso multi viri docti existimant, ex. gr. Böttiger Kunstm. II, p. 35 sqq. Kaibel G. G. N. 1901, p. 493 sqq. Drexler RML. s. v. Ganymedes, alii.

Troadis locus in ora situs est, deinde Ganymedes in posteris demum Iliadis partibus occurrit, et Υ 232 et Ε 265, denique leviter tantum cum regibus Troianis coniunctus est, modo Trois, Laomedontis modo filius dictus. Utrum autem ex Creta Euboeave an aliunde in Troadem introductus sit, disceptari vix potest. Quamquam enim Troianorum historia fabularis spectat et ad Cretam — ex. gr. modo Cybelae, Dactylorum, Idae nomina afferam — et ad Euboeam, tamen ideo, quod Ganymeda dea cognominis a Phliasiis culta est, veri est simillimum Ganymedis cultum ipsum quoque olim latius pervulgatum fuisse, quam nos quidem demonstrare possumus. Itaque primaria Ganymedis patria erui nequit.

§ 3.

Vetustissima testimonia poetica Ilias praebet, in qua Ganymedis bis mentio fit, et Ε 265 et Υ 232, quibus e locis statim efficere possumus rationem paederasticam epicae poesis temporibus poetis nondum innotuisse. Qua de re recte iudicarunt Böttiger Kunstm. II, 35, Becker-Göll Charicl. II, 256, falso paederastiam Homero intulit Welcker Kl. Schr. II, 89. Sed Υ 232 poeta tantum narrat Ganymedem formosissimum omnium hominum fuisse, qui propter eximiam illam pulchritudinem a deis in Olympum sublatus sit, ut Iovis pincerna esset.

Τρωὸς δ' αὖ τρεῖς παῖδες ἀμύμονες ἐξεγένοντο
Ἶλός τ' Ἀσσάρακός τε καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης,
ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων.
τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν
κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.

Commemoratu iam est dignum hoc vetustissimo loco Ganymedem non a Iove ipso rapi, sed ab omnibus deis pro eo in Olympum tolli. Atque obiter tantum poeta Ganymedem tangit, ita ut heroem, cum regibus Troianis coniunctum, epicorum poetarum carminibus fortasse tum iam vulgo notum fuisse credamus. Aliter Ε 265 sqq.: Iuppiter — ipse pueri raptor! — Troi pro filio rapto equos praeclaros donat. Praedicat enim poeta hoc loco Aeneae equos:

τῆς γάρ τοι γενεῆς, ἧς Τρωί περ εὐρύοπα Ζεύς
δῶχ' υἷος ποινὴν Γανυμήδεος, οὕνεκ' ἄριστοι
ἵππων, ὅσσοι ἔασιν ὑπ' ἠῶ τ' ἠέλιόν τε.

Hoc quoque loco poeta Ganymedis res obiter tangit ut omnino notas.

Hactenus prisca poesis Homerica.

Sed posteris quoque poetis epicis stuprum nondum innotuisse, facile ex eorum verbis cognoscas. Is enim, qui hymnum in Venerem cecinit, nullibi de amore verba facit. Narrat enim poeta vs. 202 sqq. Ganymedem a Iove propter eximiam venustatem raptum esse, qui cum immortalibus consuesceret et in coelestium domo pocillatoris munere fungeretur. Atque omnes deos splendidam pueri pulchritudinem admiratos esse. Troi autem, filii sortem commiseranti, Iovem equos praeclaros dono dedisse. Praeterea a Mercurio de filii sorte certior fit. Pronuntiat enim Troi, Ganymedem immortalem factum et ut deum a deis honoratum esse. Itaque Trois luctus in summam laetitiam convertitur. Facile iam intellegitur, quemadmodum poeta rem sibi finxerit. Non ad stuprum Ganymedes rapitur, sed ad deos immortales tollitur, ut vitam aeternam summosque honores nanciscatur. Poetam hymni ceteroqui eandem mythi formam secutum esse, quam loci Homerici praebent, facile perspicitur. Accedit Iliadis parvae fr. 6. Pater Ganymedis — hic Laomedon est — a Iove vite aurea pro raptu donatur. Altera fictio poetica. Pro equis, quos E. 265 et Hymnus in Ven. praebent, Iliadis parvae poeta viticulam posuit, Aeneae equorum virtutem hic, ille vitis pretium praedicaturus.

Efficitur igitur hoc, rationem paederasticam epicae poesis temporibus in Troade nondum viguisse. Neque igitur omnino primaria res mythi fuit neque Cretici, neque Euboici.

Iam vero apparet eam formam fabulae, qua Ganymedes a deis tollitur, Troianis vel Asiaticis solis peculiarem fuisse.

Nam Cretenses Ganymedem a Minoe raptum esse fabulabantur, id quod Echemenes apud Athen. XIII 601 E et Dosiades in schol. Tw. Y 234 — uterque Creticorum auctor — testantur. Quae fabulae forma, tota ex sese apta, non ex illa derivari potest, quinimo tantummodo intellegi potest, si ponitur Cretensibus illam non innotuisse.

Fabula Euboica e Troiana ipsa, idque ex Homerica pendere videtur, cum praesertim posteram formam exhibeat, qua

Iuppiter ipse raptor est, non iam omnes dei Ganymedem rapiunt.

Iam vero et in Troianorum et in Cretensium fabula Ganymedes rapitur. Itaque veri est simile raptum i. e. remotionem[1] Ganymedis partem ipsius mythi fuisse. Sicut Apollo ad Hyperboreos, Proserpina in Orcum, Bacchus trans mare ad unum omnes quot annis evanescunt, ita Ganymedem quoque remotum esse conici potest. Sed hoc pro certo habendum est primariam Ganymedis fabulam a paedicandi ratione alienissimam fuisse. Itaque Kaibelii sententiae, paedicatorum deum antiquitus fuisse Ganymedem, adstipulari non possum. Plurimi sane viri docti, ubicumque de Ganymede agunt, tantummodo fabulam paederasticam in mente habent atque hoc neglegunt, Ganymedem postea delicatum fictum, prius iam heroem cultum esse, ex. gr. Böttiger Kunstm. II, 35, 55, Hoeck Creta III, 117 q., Welcker Kl. Schr. II, 88 sqq., alii. Laudandi sunt Bethius RhM. 1907 p. 449 et Gruppius Gr. M. 59, 308, 9, qui recte iam intellexerunt Ganymedem iam antequam fabula amatoria nata est cultum habuisse.

§ 4.

Putabat Plato Lg. I, 636 fabulam illam tritissimam, qua Iuppiter amore incensus puerum rapit, a Cretensibus provenisse.[2] Haud dubie falso! Nam ea forma fabulae, qua Minos raptor inducitur, non potest nisi Cretensibus vindicari. Qua forma illa excluditur. Est enim Minos vetustissimus Cretensium deus, quem ab antiquissimis temporibus cultum ostendere possumus. Iam quaeritur, quo ex tempore et qua de causa Cretenses Ganymedem a Minoe ad stuprum raptum esse fabulati sint. Atque veri est simillimum fabulam priscis fere temporibus Doriensium auctoritate incestam fictam esse. Nam stupra puerorum ipsa apud Cretenses valde viguisse scimus; quinimo saepius Cretenses primi paedicatores dicuntur. Timaeus apud Aristot. de re publ. II, 10, p. 1272 Bekk. *τοῦ παιδεραστεῖν παρὰ πρώτων Κρητῶν εἰς τοὺς Ἕλληνας παρελθόντος, ὡς ἱστορεῖ Τίμαιος* = Athen. XIII, 601 F. cf. Plutarch. Amat. C. 17, p. 761 E.

---

[1]) Ganymedis raptum praeclare illustravit E. Rohdius Psyche I, p. 74.

[2]) Eiusdem erroris sane plurimi viri docti participes sunt.

Becker-Göll Charicl. II, 257 sqq. Hoeck Creta III, 106 sqq. Bethe RhM. 1907, p. 449. Atque hoc respectu est dignissimum, morem quendam singularem Cretensium exstitisse, quo pueri formosi ab amatoribus rapiebantur, qui recondita loca cum illis habitarent, dico mirum illum „harpagmon" puerorum, Cretensibus solis peculiarem, de quo saepius viri docti disputaverunt. cf. Bethe l. l. Talis mos ubi primum percrebuit, nonne necessario quasi quivis putare coactus erat, hunc pulcherrimum Ganymedem a Minoe raptum ad nihil aliud esse ereptum nisi ad stuprum, ad quod pueros formosos rapi omnes sciebant, cotidie videbant? Haud dubie fabula e talibus rationibus prodiit, itaque Cretensibus fabulantibus ipsis vindicanda est, non poetis. Tum enim tale quid sponte omnibus pariter in mentem venire debebat.

Iam vero hoc non omittendum est fabulam illam solam atque in se positam mansisse, non nisi Cretensibus notam.

Quod iam attinet ad fabulam Homericam, qua Iuppiter puerum rapuisse dicebatur, non putaverim eam e fabula Cretica pendere, immo veri est similius eam a poetis corruptae aetatis provenisse, qui utique talem familiaritatem non aliam sibi fingere poterant, nisi incestam. Quid mirum! Saeculo enim sexto, quinimo septimo paederastia ita iam percrebuerat, ut in cotidianis ipsorum Ionum et Aeolum consuetudinibus reperiretur. cf. Bethe RhM. 1907, p. 438 sqq.

Admodum vetusta certe erat illa fabula, cum teste Suida s. v. *Θάμυρις,* primum stupri exemplum Iuppiter in Ganymede dedisse diceretur. cf. p. 6. Atque scimus Ibyco fabulam iam innotuisse, quem Ganymedem cecinisse efficitur e schol. Ap. Rh. III, 158 (fr. 30 Bgk.): *Διὰ τούτων στίχων παραγράφει τὰ εἰρημένα ὑπὸ Ἰβύκου, ἐν οἷς περὶ τῆς Γανυμήδους ἁρπαγῆς εἶπεν ἐν τῇ εἰς Γοργίαν ᾠδῇ· καὶ ἐπιφέρει περὶ τῆς Ἠοῦς ὡς ἥρπασε Τιθωνόν.* Quid poeta cecinerit, facile colligitur. Veri enim est simillimum Rheginum amorem Iovis cecinisse. Satis est nobis nomen Ibyci. qui qualis in puerilibus amoribus fuerit, quis est quin sciat? Sane vix credibile est Ibycum, dum Ganymedem canit, aliud quid in mente habuisse nisi amorem. Et respice verba Ciceronis Tusc. IV, 71, qui catalogo utitur: „sed poetas ludere sinamus,

quorum fabulis in hoc flagitio versari ipsum videmus Iovem . . quis aut de Ganymedi raptu dubitat, quid poetae velint, aut non intellegit, quid apud Euripidem et loquatur et cupiat Laius? Quod denique homines doctissimi et summi poetae de se ipsis et carminibus edunt et cantibus? Fortis vir in sua re publica cognitus quae de iuvenum amore scribit Alcaeus! Nam Anacreontis quidem tota poësis est amatoria. Maxume vero omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum apparet ex scriptis." — Accedit quod idem Ibycus Athenaeo XIII, 603 d teste Talum et Rhadamanthyn paederastas cecinit, qua de re infra sermo fit. Accedit Theognis, qui vs. 1345 Bgk. satis libidinose de Ganymede fatur:

> *Παιδοφιλεῖν δέ τι τερπνόν, ἐπεί ποτε καὶ Γανυμήδους*
> *ἤρατο καὶ Κρονίδης, ἀθανάτων βασιλεύς*
> *ἁρπάξας δ' ἐς Ὄλυμπον ἀνήγαγε, καί μιν ἔθηκεν*
> *δαίμονα, παιδείης ἄνθος ἔχοντ' ἐρατόν.*
> *οὕτω μὴ θαύμαζε, Σιμωνίδη, οὕνεκα κἀγὼ*
> *ἐξεδάμην καλοῦ παιδὸς ἔρωτι δαμείς.*

Sponte quasi fabula Homerica illis temporibus ita inflecti debebat, hic et ubique. Quam in formam redacta fabula permansit.

§ 5.

Fabulam paederasticam reapse tritissimam fuisse poetarum satis multa testimonia probant, vasa picta illustrant.

Celebrat ex. gr. Ganymedem Pindarus et Ol. I, 44 et Ol. X, 120. Sophoclem in Colchisin hunc versum de Ganymede habuisse:

> *„μηροῖς ὑπαίθων τὴν Διὸς τυραννίδα"*

Athenaeus XIII, 602 E testis est. Saepius apud Euripidem quoque Ganymedis rapti mentio fit: Iphig. Aul. 1049, Troad. 820 sqq., Orest. 1390, Cycl. 578 sqq. Plato de Ganymede stuprato disputat Phaedr. 255 C, Xenophon in Convivio VIII, 80. Artifices ipsi quoque amorem indicare student, sive gallum, amorem significantem, picturis addunt, sive Iovem amasium insectantem, similia fingunt.

Atque plurimum scilicet Alexandrini homines fabulam amatoriam amaverunt, id quod inde cognoscas, quod fabulam

priscam novis additamentis ludibundis multifariam auxerunt. Saepe aquilam Iovis rapientem inducunt velut Leochares in celeberrima Ganymedis statua. cf. Theocr. C. XV, 24, Anthol. Pal. XII, 67, Straton Anth. Pal. XII, 220, 1. [Apoll.] bibl. III, § 140, 1. Inde Alexandrini, quippe qui metamorphoses adamarent, fabulam mox ad eam formam produxerunt, ut Iovem, sicut taurus Europam rapit, ipsum in aquilam mutatum puerum rapientem fingerent. Atque student poetae rem summa comitate et suavitate depingere, velut Anthologiae poetae Stratones, Meleagri, Antipatres.[1]) Alexandrinos sequitur Ovidius Met. X, 155. Tum artifices ipsi quoque deum in aquila latentem fingunt. cf. Overbeck Plastik II, 64.

Posteri auctores et artifices fabulam multimodis exornant et omnia describunt et depingunt, quae vel ante raptum, vel post raptum acciderint, sive Ganymedem in Olympo viventem, cum Iove iocantem, cum Amore aleae indulgentem, sive a Venere instructum, Iovis aquilam alentem, aliud facientem fingunt. Saepissime quoque de Iunonis iracundia invidiaque fabulantur.

Romanis quoque Ganymedes vera „catamitorum“ species est, ad cuius statuam Iuvenale IX, 22 teste paedicones convenire solebant. cf. Festus s. v. Catamitus. Martial. V, 55; VII, 50, 74; XI, 22, 26, 43, 104.

Iam hic Phanoclis poetae mentionem faciam, quem Tantalum raptorem Ganymedis de suo finxisse testatur Eusebius ap. Syncell. p. 116 D: *Γανυμήδην Τάνταλος ἁρπάσας υἱὸν τοῦ Τρωὸς ὑπ' αὐτοῦ κατεπολεμεῖτο Τρωός, ὡς ἱστορεῖ Φανοκλῆς,* quo cum loco conferas Oros. Hist. I, 12. Phanoclem schol. Tw. Y 234 teste Mnaseas geographus secutus esse videtur, e quo Augustinus d. civ. dei XVIII, 13, Herodianus I, 11, 2, Suidas s. v. *Ἴλιον* pendent. Sed caveamus, ne inde cum Welckero Aesch. Tril. 355 sq. et Prellero RhM 1846, 399 sq. concludamus stupra puerorum a Lydis vel Phrygibus provenisse. Nam fabulae ab uno Phanocle fictae origo non alii causae debetur nisi vicinitati Ganymedis Troiani et Tantali Phrygis, qui, cum omnibus vitiis et turpitudinibus contaminatus videretur, facile huius quoque maculae particeps fieri poterat.

[1]) Locos infra afferam, cf. p. 75.

§ 6.

Neptunus et Pelops.

Iam in calce capitis Pelopis, Neptuni amasii, mentio facienda est, quia eius fabulam ad Ganymedis similitudinem fictam esse monstraturus sum.

Pindarus enim primus Ol. I vs. 38 sqq. fabulatur Pelopem revera non a patre occisum esse, sed a Neptuno venustatem eius admirato sicut Ganymedem ad superos sublatum esse. Vicinos malevolos nescientes, quonam puer evanuerit, miram famam effinxisse et pervulgasse, Tantalum ipsum filium mactavisse. Revera Pelopis fabula ita cum Ganymedis congruit, ut ad similitudinem illius eam fictam esse facile perspiciatur. Nam ut Ganymedes Iovis, ita Pelops secundum memoriam vulgarem Neptuni pincerna est, id quod recte iam cognoverunt Bulle RML. s. v. Poseidon 2874 et Bloch RML. s. v. Pelops 1870. 1, quorum alter et vas Apulum affert, cuius in altera parte Iovem et Ganymedem, altera Neptunum et Pelopem conspicimus, et rubra vasa Attica in memoriam nostram revocat, in quibus Pelops Neptuni pocillator fictus est, alter ad *Γανυμήδας* vel *Πέλοπας* illos provocat, aëneos pocillatores minores. cf. Propert. II, 26, 46: Neptunus fratri par in amore Iovi.

Pindarus solus Pelopem a Neptuno in caelum raptum esse narrat, de dei amore plures rettulerunt:

[Apoll.] bibl. Epit. C. 2, IX: *ὅτι Πέλοψ σφαγεὶς ἐν τῷ τῶν θεῶν ἐράνῳ καὶ καθεψηθεὶς ὡραιότερος ἐν τῇ ἀναζωώσει γέγονε, καὶ κάλλει διενεγκὼν Ποσειδῶνος ἐρώμενος γίνεται, ὃς αὐτῷ δίδωσιν ἅρμα ὑπόπτερον, τοῦτο καὶ διὰ θαλάσσης τρέχον τοὺς ἄξονας οὐχ ὑγραίνετο.*

Lycophr. Alex. 156 sqq. cum scholiis.

Schol. A Hom. A 38: *Πέλοψ ὁ Ταντάλου ... κατὰ μισθὸν παιδικῆς ὥρας λαβὼν παρὰ Ποσειδῶνος ἵππους ἀδαμάστους σὺν τῷ ὀχήματι, ἔσπευσεν εἰς Πῖσαν τῆς Πελοποννήσου.*

Lucian. Charid. VII, 9. Philostr. Imag. I, 17.

Nonnus Dion. XI, 271. Clem. Al. Protr. p. 28 Stählin I, 24.

Quaeritur iam, utrum fabula amatoria a poetis provenerit an a populo fabulante. Sane vix Pindaro eam debemus, qui

ut passim notam fabellam promit. Cogitaverit autem quis de eis Peloponnesi regionibus, in quibus Pelops herois veneratione honorabatur, imprimis de regionibus Elidensibus. cf. Bulle RML s. v. Poseidon 2841. Atque Neptuni curriculo ex Asia in Graeciam vectus esse dicebatur. Forsan antiquitus iam Neptunus et Pelops fabulis coniuncti erant. Coniecerim Neptunum iam antiquitus fautorem Pelopis fuisse, sicut Pelei, Periclymeni, Antilochi, aliorum iuvenum, atque forsitan iam in priscis carminibus Pelopi currum aureum praeclarosve equos alites donaverat sicut Peleus ab eo equos praeclaros accepit.

Postea, cum stuprum puerorum percrebuit, Dorienses Peloponnesi incolae Neptunum ex fautore Pelopis amatorem fecisse videntur ad similitudinem celeberrimae fabulae Ganymedeae.

Caput IV.

De reliquis fabulis paederasticis.

§ 1.

Iam enumeremus hac prima paragrapho eos heroes, qui antiquitus casta sodalitate amicitiave coniuncti sicut Hercules et Iolaus a corruptis hominibus posteriorum temporum, plerumque saeculi VII. vel VI. paederastae facti sunt.

a) Achilles et Patroclus.

Apud Homerum puerorum amoris ne vestigium quidem inveniri inter omnes hodie constat. Acta igitur agerem, si Achillem Homericum Patrocli amatorem non fuisse iterum probarem.

Postea vero modo alter, modo alter amator fingebatur. Tamen usitatiore et vetustiore ratione Achilles, quippe qui omnium fuerit fortissimus,[1] amator fictus est. Graeci enim saeculi VI. certe V., aut omnes aut plurimi, quoniam non aliam formam intimae amicitiae sibi fingere poterant, ipsi Doricos mores secuti, cruditatem paederasticam in Homeri carminibus se invenire putabant. Quae ratio apud Aeschylum primum occurrit.

Athen. XIII, 601 A, 602 E: *οὕτω δ' ἐναγώνιος ἦν ἡ περὶ τὰ ἐρωτικὰ πραγματεία καὶ οὐδεὶς ἡγεῖτο φορτικοὺς τοὺς ἐρωτικούς, ὥστε καὶ Αἰσχύλος, μέγας ὢν ποιητὴς καὶ Σοφοκλῆς ἦγον εἰς τὰ θέατρα διὰ τῶν τραγῳδιῶν τοὺς ἔρωτας ὁ μὲν τὸν Ἀχιλλέως*

[1]) Exstat quaedam similitudo inter Achillem et Herculem. Uterque enim fortissimus est itaque apud pueros et iuvenes summam venerationem habet. Itaque Paus. III, 20, 8 tradit Achillem Lacedaemone ab ephebis cultum esse.

πρὸς Πάτροκλον, ὁ δ' ἐν τῇ Νιόβῃ παίδων. — Αἰσχύλος τε καὶ Σοφοκλῆς ἀναφανδὸν ἔφασαν, ὁ μὲν Μυρμιδόσιν

„*σέβας δὲ μηρῶν ἁγνὸν οὐκ ἐπῃδέσω*
ὦ δυσχάριστε τῶν πυκνῶν φιλημάτων" . . fr. 135 N.

Idem testatur Plutarchus Amat. C. V, p. 751 C.

cf. Lucian. Amor. C. 54 v. 2, p. 457 = fr. 136 N: *οὐδὲ γὰρ ὁ Πάτροκλος ὑπ' Ἀχιλλέως ἠγαπᾶτο μέχρι τοῦ καταντικρὺ καθέζεσθαι — ἀλλ' ἦν καὶ τῆς ἐκείνων φιλίας μεσῖτις ἡδονή· στένων γοῦν Ἀχιλλεὺς τὸν Πατρόκλου θάνατον ἀταμιεύτῳ πάθει πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀπερράγη,*

„*μηρῶν τε τῶν σῶν εὐσεβὴς ὁμιλία*"

κλαίων.

Atque hoc Platonis Phaedro Conv. 180 A ipsi quoque constat, inter Achillem et Patroclum amicitiam incestam exstitisse. Comparat enim eorum amicitiam cum amoribus Admeti et Alcestidis, Orphei et Euridices. Atque ideo tantum Aeschylum vituperat, quia non Patroclum, sed Achillem amatorem finxerit. Ipse enim, Homerum sequi opinans, Achillem amasium fuisse putat.

Aeschines orator Tim. I, 142 ipse quoque putat Homerum iam impudica in mente habuisse, sed consulto rem non claris verbis expressisse, imo occultasse, quoniam per se quivis rem ita intellegat. Quae ratio quam trita fuerit, schol. Tw. A. *Π*, 97 docet. Zenodotus enim et Aristarchus, quippe qui recte perspexissent, Homero spurcitiam nondum innotuisse, vs. *Π*, 97 delebant, quia hoc loco paederastia falso Homero illata esse videbatur.

cf. [Apoll.] bibl. III, § 176. Philostr. ep. 8 (p. 228 K.). Sext. Empir. hypot. III, 199.

Saepius quoque Achilles non amator, sed amasius Patrocli occurrit, id quod ab eis imprimis prodisse videtur, qui Homerum sequi opinati Patroclum maiorem natu fuisse putabant, ex. gr. Plato Conv. 180 A, scholiasta *Π*, 97 Tw. A. Accedunt Statius Achill. I, 174, Martialis V, 48. Adnotem quoque Plutarchi Gryllum p. 990 E, ubi narrantem facit Troianae expeditionis sodalem: *ἐν δὲ τῇ θόλῳ τοῦ Πυθίου Ἀπόλλωνος λαθών τις ὑμῶν ἐνέγραψεν „Ἀχιλλεὺς καλός", ἤδη τοῦ Ἀχιλλέως υἱὸν ἔχοντος*

(sc. Neoptolemum). De Patroclo sane Plutarchum cogitasse non sumam.

b) Achilles et Antilochus.

Sicut Achillis et Patrocli amicitiam ita etiam Achillis et Antilochi, Nestoris filii, in amorem postea conversam esse non est mirum. Quamquam unicus testis est Philostratus Imag. p. 394 K: *τὸν Ἀχιλλέα ἐρᾶν τοῦ Ἀντιλόχου πεφώρακας οἶμαι παρ' Ὁμήρῳ*, facile tamen intellegitur eum non solum ita cogitasse.

c) De Meriona et Idomeneo

haud aliter iudicandum est.

Sextus Empir. hypot. III, 199: *οἷον γοῦν παρ' ἡμῖν μὲν αἰσχρόν, μᾶλλον δὲ καὶ παράνομον νενόμισται τὸ τῆς ἀρρενομιξίας, παρὰ Γερμανοῖς δὲ ὥς φασίν, οὐκ αἰσχρὸν ἀλλ' ὥς ἕν τι τῶν συνήθων. λέγεται δὲ καὶ παρὰ Θηβαίοις τὸ παλαιὸν οὐκ αἰσχρὸν τοῦτο εἶναι δόξαι, καὶ τὸν Μηριόνην τὸν Κρῆτα οὕτω κεκλῆσθαί φασι δι' ἔμφασιν τοῦ Κρητῶν ἔθους. καὶ τὴν Ἀχιλλέως πρὸς Πάτροκλον διάπυρον φιλίαν εἰς τοῦτο ἀνάγουσι τινές.*

d) Orestae et Pyladis, Thesei et Pirithoi

amicitias sicut Achillis et Patrocli tritissima illa ratione incestas factas esse satis dilucide cognoscitur ex Xenophontis Convivio VII, 31: *ἀλλὰ μήν, ὦ Νικήρατε, καὶ Ἀχιλλεὺς Ὁμήρῳ πεποίηται οὐχ ὡς παιδικοῖς Πατρόκλῳ ἀλλ' ὡς ἑταίρῳ ἀποθανόντι ἐκπρεπέστατα τιμωρῆσαι. καὶ Ὀρέστης δὲ καὶ Πυλάδης καὶ Θησεὺς καὶ Πειρίθους καὶ ἄλλοι δὲ πολλοὶ τῶν ἡμιθέων οἱ ἄριστοι ὑμνοῦνται οὐ διὰ τὸ συγκαθεύδειν ἀλλὰ διὰ τὸ ἄγασθαι ἀλλήλους τὰ μέγιστα καὶ κάλλιστα κοινῇ διαπεπρᾶχθαι.* Accedit Bionis fr. VIII (Wilamow. Bucolici, p. 142):

ὄλβιοι οἱ φιλέοντες, ἐπὴν ἴσον ἀντεράωνται.
ὄλβιος ἦν Θησεὺς τῷ Πειριθόῳ παρεόντος,
εἰ καὶ ἀμειλίκτοιο κατήλυθεν εἰς Ἀίδαο.
ὄλβιος ἦν χαλεποῖσιν ἐν ἀξείνοισιν Ὀρέστας,
οὕνεκά οἱ ξυνὰς Πυλάδας αἵρητο κελεύθως.
ἦν μάκαρ Αἰακίδας ἑτάρω ζώοντος Ἀχιλλεύς·
ὄλβιος ἦν θνάσκων, ὅτι οἱ μόρον αἰνὸν ἄμυνεν.

cf. Lucian. Amor. 47. Quae ratio quibus a temporibus increbruerit, cognovimus.

e) Achilles et Troilus.

Troilum in Iliade non nisi Ω 257 obvium, puerum ab Achille necatum esse Proclo teste Cyprium carmen narraverat, vasa picta illustrant. Amoris vestigium neque apparet, neque unquam in Homerica huius fabulae forma fuisse verisimile est.

A qua ratione discrepat Lycophro Al. 309: Cassandra fratrem aetate florentem, a fratribus dilectum, qui ferum draconem vehementissimo amore ita sit incensurus, ut puerum sane durum in Apollinis patris ara immolet, ingenue commiseratur. Lycophronem e Cypriis pendere Holzingerus tam temere quam audacter coniecit.

Quaeritur iam, quibus temporibus Troilus talis fictus sit. Atque vel per se vix credibile est eum ante saeculum VII. amasium fictum esse, si Ganymedem, Patroclum, alios pulchros nobis revocamus. Iam vero Phrynichus (fr. 13) apud Athenaeum 564 F primus hunc amorem exhibet: *Φρύνιχός τε ἐπὶ τοῦ Τρωίλου ἔφη, λάμπειν ἐπὶ πορφυραῖς παρῇσι φῶς ἔρωτος.* Ipse versus legitur apud Athen. XIII, 603 F in Ionis Chii narratione lepidissima: coram se Sophoclem poetam, cum in itinere patriam suam tetigisset et ad Atheniensium *πρόξενον* devertisset, inter pocula ad puerum formosum ad cyathos stantem dixisse: *ὡς καλῶς Φρύνιχος ἐποίησεν εἴπας*:

„λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρῇσι φῶς ἔρωτος".

Utrum poeta Troilum de suo mollem finxerit, an aliunde receperit, certo quidem diiudicari nequit. Versus enim ille a choro cantatus esse videtur, quippe qui Ionicis a maiore compositus sit. Tamen haud scio an Troilus primas partes egerit. Atque hoc sumi debet, Phrynichi et Aeschyli temporibus sicut Patroclum Troilum ipsum quoque iam Achillis amasium fuisse.

De Troilo Sophocleo schol. Ω 257 Tw. pauca tradidit: *Σοφοκλῆς ἐν Τρωίλῳ φησὶν αὐτὸν ὀχευθῆναι ὑπὸ Ἀχιλλέως ἵππους γυμνάζοντα παρὰ τὸ Θυμβραῖον καὶ ἀποθανεῖν.* Iam inde quod codex Tw. ipse praebet (*Τρωίλον*) *ὀχευθῆναι ὑπὸ Ἀχιλλέως,* Sophoclem ipsum quoque Troilum delicatum finxisse, Lycophronem Sophoclem secutum esse, facile quis collegerit. Falso autem Schreiberus Ann. d. J. XLVII, 1875, 202 sqq.

Phrynicho praetermisso Sophoclem demum Troili amorem in lucem protulisse censet. Sane ideo quod *ὀχεύω* vocis vis ad bestiarum modo coitum spectat, res dubia manet. Welckeri coniectura *λογχευθῆναι*, Maassiique *λοχηθῆναι* fabulae Sophocleae Cyprii carminis sensum inferunt.

Satis habemus statuisse fabulam ad 500 impudicam fictam esse.

Ludibundam fabulae formam Servius Verg. Aen. I, 474 exhibet, haud dubie ex cuiusdam Alexandrini carmine sumptam: Troili amore Achillem ductum palumbes ei quibus ille delectabatur obiecisse: quas cum vellet tenere, captus ab Achille in eius amplexibus periit.

§ 2.

a) Agamemnon et Argynnus.

Clem. Al. Protr. p. 32 Stählin I, p. 28: *Ἀγαμέμνωνα γοῦν τινα Δία ἐν Σπάρτῃ τιμᾶσθαι Στάφυλος ἱστορεῖ. Φανοκλῆς δὲ ἐν Ἔρωσιν ἢ Καλοῖς Ἀγαμέμνονα τὸν Ἑλλήνων βασιλέα Ἀργύννου νεὼν Ἀφροδίτης ἵστασθαι ἐπ' Ἀργύννῳ τῷ ἐρωμένῳ.*

Propertius III, 7, 21 sqq.:

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Qua notat Argynnus poenam inhiantis aquae.
Hic iuvene amisso classem non solvit Atrides,
Pro qua mactata est Iphigenia mora.

Plutarch. Gryllus C. 7. p. 990 D: *ὁ δ' Ἀγαμέμνων τὴν Βοιωτίαν ἐπ' ἦλθε κυνηγετῶν τὸν Ἄργυννον ὑποφεύγοντα καὶ καταψευδόμενος τῆς θαλάσσης καὶ τῶν πνευμάτων, εἶτα καλὸν καλῶς ἑαυτὸν βαπτίζων εἰς τὴν Κωπαΐδα λίμνην, ὡς αὐτόθι κατασβέσων τὸν ἔρωτα καὶ τῆς ἐπιθυμίας ἀπαλλαξόμενος.*

Athen. XIII, 603 d: *Ἀγαμέμνονά τε Ἀργύννου ἐρασθῆναι λόγος ἰδόντα ἐπὶ τῷ Κηφισῷ νηχόμενον, ἐν ᾧ καὶ τελευτήσαντα αὐτόν, συνεχῶς γὰρ ἐν τῷ ποταμῷ τούτῳ ἀπελούετο, θάψας εἵσατο καὶ ἱερὸν αὐτόθι Ἀφροδίτης Ἀργυννίδος.*

Stephanus Byz. s. v. *Ἄργυννος: Ἄργυννος, υἱὸς Πεισιδίκης τῆς Λεύκωνος τοῦ Ἀθάμαντος τοῦ Σισύφου τοῦ Αἰόλου, ἐρώμενος Ἀγαμέμνονος. Βοιωτός, ὃς ἀνιὼν εἰς τὸν Κηφισσὸν τελευτᾷ. ἀφ' οὗ Ἀργυννίδα τὴν Ἀφροδίτην ἐτίμησε. λέγεται καὶ Ἀργουνίς. Ἀριστοφάνης δὲ Ἀργύνειον διὰ διφθόγγου. ὁ οἰκήτωρ Ἀργύννιος.*

Fabella igitur sine dubio Boeotia est, nam in regionibus Orchomeniis ad Copaidem lacum sitis narrabatur et artissime cohaerebat cum sacro cultuque illius Veneris Argynnidis, sane vix Lydiae paedicatorum deae, ut multi viri docti volunt — nam praeterquam quod nullibi traditum est, veri utique similius est paedicatores maria numina coluisse — sed forsan delicatorum, prima iuventutis aetate defunctorum, sicut Venus illa *ἐπιτυμβία* Delphorum, quam Plutarchus Qu. Rom. C. 23, p. 269 B commemorat, ipsa quoque numen funebre erat. Nam in pueri mortui honorem Agamemnon cultum instituit. Atque quadrat iam talis ratio ad Dorienses mores. Nam Welckeri (Tril. 356, Gr. Göttl. II, 715), Gerhardi (Gr. M. § 362, 2), C. O. Mülleri (Dor. II, 296), aliorum sententia, ex Lydia cultum et fabulam venisse, vix hodie iam refutare opus est.

Primus fabulam Phanocles exhibuit, haud dubie antiquitus traditam, nam scimus stupra puerorum in Boeotia ipsa inde ab illis temporibus, quibus Dores advenerunt, maximopere viguisse. cf. Plutarch. Amat. C. XVII, p. 761 D. Bethe RhM. 1907, p. 438 sqq. Quod apud Alexandrinum primum occurrit, non mirum est. Satis iam cognovimus poetas illius aetatis primos tales fabulas amatorias spectasse, imprimis reconditas minusque notas. Accedit quod hac ipsa fabula sicut Chrysippi stuprum pueri quasi pestis quaedam nova atque inaudita videtur summa culpae poena digna, id quod non nisi priscis temporibus fieri potuit, quibus stupra illa primum increbuerunt. Atque Argynnus ipse pro nomine, quod candidum i. e. delicatum significat, ab initio catamitus fuisse debet, una cum fabula fictus. Nomina enim matris et avi cum filii concinere apparet.

b) Laius et Chrysippus.

Schol. Eur. Phoen. 1760: *ἱστορεῖ Πείσανδρος ὅτι κατὰ χόλον τῆς Ἥρας ἐπέμφθη ἡ Σφὶγξ τοῖς Θηβαίοις . . . ὅτι τὸν Λάιον ἀσεβήσαντα εἰς τὸν παράνομον ἔρωτα τοῦ Χρυσίππου, ὃν ἥρπασεν ἀπὸ τῆς Πίσης, οὐκ ἐτιμωρήσαντο . . . πρῶτος δὲ ὁ Λάιος τὸν ἀθέμιτον ἔρωτα τοῦτον ἔσχεν . ὁ δὲ Χρύσιππος ὑπὸ αἰσχύνης ἑαυτὸν διεχειρίσατο ξίφει . τότε μὲν οὖν ὁ Τειρεσίας ὡς μάντις εἰδώς, ὅτι θεοστυγὴς ἦν ὁ Λάιος, ἀπέτρεπεν αὐτὸν τῆς ἐπὶ τὸν*

Ἀπόλλωνα ὁδοῦ . . . ταῦτά φησιν Πείσανδρος. οἱ τὴν Οἰδιποδίαν γράφοντες.

Euripides, Chrysippus:

α) Cicero Tusc. IV, 71: sed poetas ludere sinamus, quorum fabulis in hoc flagitio versari ipsum videmus Iovem . . . quis aut de Ganymedi raptu dubitat, quid poetae velint, aut non intellegit, quid apud Euripidem et loquatur et cupiat Laius?

β) Aelian. var. hist. II, 21: *ἤρα δέ, φασί, τοῦ αὐτοῦ Ἀγάθωνος τούτου καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς· καὶ τὸν Χρύσιππον τὸ δρᾶμα αὐτῷ χαριζόμενος λέγεται διαφροντίσαι.*

γ) Aelian. d. nat. an. VI, 15: *Λάιος δὲ ἐπὶ Χρυσίππῳ, ὦ καλὲ Εὐριπίδη, τοῦτο οὐκ ἔδρασεν, καίτοι τοῦ τῶν ἀρρένων ἔρωτος, ὡς λέγεις αὐτὸς καὶ ἡ φήμη διδάσκει, Ἑλλήνων πρώτιστος ἄρξας.*

Aristoph. B. Arg. Eur. Phoen.: . . . *Λάιον. οὗτος ἀφικόμενός ποτε εἰς Ἦλιν καὶ τὸν τοῦ Πέλοπος υἱὸν Χρύσιππον ἰδών, ὃς ἦν ἐξ ἄλλης αὐτῷ γυναικὸς καὶ οὐκ ἐκ τῆς θυγατρὸς Οἰνομάου Ἱπποδαμείας, καὶ ἁλοὺς τούτου κατάκρας τῷ ἔρωτι, ἁρπάσας εἰς Θήβας ἤνεγκε καὶ συνῆν αὐτῷ τὰ ἐρωτικά, πρῶτος ἐν ἀνθρώποις τὴν ἀρρενοφθορίαν εὑρών, καθὼς δὴ καὶ ὁ Ζεὺς ἐν θεοῖς τὸν Γανυμήδην ἁρπάσας. ὁ δὲ Πέλοψ μαθὼν τοῦτο κατηράσατο Λαΐῳ μηδέποτε μὲν παῖδα τεκεῖν. εἰ δ' ἄρα καὶ συμβαίη, ὑπ' αὐτοῦ τούτου ἀναιρεθήσεσθαι. διὰ ταῦτα πολὺν ἤδη χρόνον ὁ Λάιος ἄπαις ὢν παραγίνεται εἰς Πυθίαν καὶ παίδων αἰτεῖ γονήν. καὶ ἀκούει τοιόνδε χρησμόν . . .*

Suidas s. v. *Θάμυρις* cf. p. 5. [Apoll.] bibl. III, § 44.

Athen. XIII, 602 F. Philostr. ep. 8 (p. 228 K.). Dio Prus. Arnim I, p. 113. Hygin. f. 85.

Fabulam igitur revera vetustissimam fuisse non pauci scriptores testantur. Atque iam dudum Bethius Theb. Heldl. 12sqq. evicit fabulam de Chrysippo stuprato ab uno poeta fictam esse ac quidem ab eo, qui Oedipodiam celeberrimum illud Thebanorum carmen exaravit, cuius argumentum Pisandri fragmentum illud ipsum, supra exscriptum, praebet. Unicum paederastiae testimonium epicum! Atque inde quod Iuno irata violataque stuprum vehementissime ulciscitur, illud poetae ipsi quoque summa contumelia atque turpitudo videtur fuisse. Itaque sane veri est simillimum fabulam illis temporibus iam natam

esse, quibus primis paederastia a Doriensibus importata in Boeotia percrebrescere coepit. nam tametsi ab uno poeta ficta est, tamen novas Boeotorum consuetudines satis dilucide ostendit.

Posterior atque rarior forma haec videtur fuisse:

Schol. Eur. Phoen. 66: *τινὲς δέ φασιν ὅτι Λάιος ἀνηρέθη ὑπὸ Οἰδίποδος, ὅτι ἀμφότεροι ἤρων Χρυσίππου.*

c) Iuppiter et Chrysippus.

Athen. XIII, 603 A: *Πράξιλλα δ' ἡ Σικυωνία ὑπὸ Διός φησιν ἁρπασθῆναι τὸν Χρύσιππον* (fr. 6 Bgk[4].).

Hyginus f. 271: qui ephebi formosissimi fuerunt . . . Chrysippus, Pelopis filius, quem Theseus ludis rapuit — Falso enim Hyginum ex cuiusvis enchiridii litteris *ΟΖΕΥΣ* legisse *ΘΗΣΕΥΣ* Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 13 coniecit.

Clem. Al. Protr. p. 28 Stählin I, p. 24: *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ παίδων ἀπέσχοντο οἱ παρ' ὑμῖν θεοί, ὃ μέν τις Ὕλα, ὃ δὲ Ὑακίνθου, ὃ δὲ Πέλοπος, ὃ δὲ Χρυσίππου, ὃ δὲ Γανυμήδους ἐρῶντες.*

Quae rara memoria haud scio an ad analogiam fabulae Ganymedeae nata sit — ad 450 eam iam exstitisse Praxilla testis est — ac quidem simili ratione ficta sit atque ea fuit, quam Plato Leg. I, 636 de Cretensibus tradidit: *ἵνα ἑπόμενοι δὴ τῷ θεῷ καρπῶνται καὶ ταύτην τὴν ἡδονήν.* Si ita se habet, fabula sane in ore populi fabulantis fuerit sive Sicyoniorum sive Boeotorum. nam scimus Nicolao Damasceno FHG. III, 366, 15 teste Laium in Laphystio, vetustissimo Iovis sacro, sepultum esse. Utut res se habet, certo quidem fabula Doriensium mores prodit.

§ 3.

a) Chiron et Achilles.

Dio Prus. or. LVIII Arnim II, p. 129: *ὁ Ἀχιλλεὺς τὸν Χείρωνα ἤρετο, Τί μ', ἔφη, τὸ τοξεύειν διδάσκεις; Ὅτι, ἔφη, καὶ τοῦτο τῶν πολεμικῶν ἐστιν . . . ὁ δὲ Ἀχιλλεὺς ταῦτα ἀκούων ἅμα θυμοῦ καὶ δακρύων ἐνεπίμπλατο καὶ τὸν Χείρωνα ἐλοιδόρει καὶ οὐκ ἔφη παρ' αὐτῷ μένειν, ἀλλ' εἰς Φθίαν ἀπιέναι παρὰ τὸν πατέρα καὶ παρ' ἐκείνῳ παιδεύσεσθαι· πολὺ γὰρ κρείττονα εἶναι τὸν Πηλέα τοῦ Χείρωνος καὶ οὐκ εἶναι σοφιστήν, ὥσπερ ὁ Χείρων.*

ἦν δὲ ἔτι παῖς ὁ Ἀχιλλεὺς οὐδέπω ἡβάσκων . . . Οὐδὲ τὸ ἱππεύειν ἀρέσκει σε; ἐπήρετο αὐτὸν ὁ Χείρων. Οὐδὲ σύ, ἔφη, ἀρέσκεις με τοιοῦτος ὤν. δοκεῖς γάρ μοι ἑτοιμότερος εἶναι φεύγειν ἢ μένειν. καὶ ὁ Χείρων ὀργισθεὶς αὐτῷ καὶ ὑπὸ τῆς ὀργῆς φρίξας τὴν χαίτην, καὶ ὑποβλέψας δεινόν, ὥσπερ ἀστραπή, μόλις δὲ ἀπεχόμενος τοῦ μὴ παῖσαι αὐτόν, ὅτι διενοεῖτο ἐρᾶν αὐτοῦ, Ὦ κακόν, ἔφη, γέννημα καὶ θρασὺ μητρὸς θαλασσίας, ἥ σε κακῶς διέφθειρε φυσῶσα ἐπὶ τῷ γένει . . .

cf. Statius Silv. II, 1, 89.

Achillem sicut Theognidis Cyrnum priscis iam temporibus Chironis amasium fuisse, non est cur negemus. Si quis dubitat, fabulam amatoriam sophistarum philosophorumque ac quidem Socratis et Platonis temporibus natam esse concedet, quorum in scholis quanta familiaritate discipuli et magistri coniuncti vixerint, ita ut discipulorum amores vix iam tum a magistrorum natura seiungi posse viderentur, satis constat. Reapse Platonem eiusque aequales Socrates cum Chironibus, Alcibiades cum Achillibus contulisse recte observavit Dümmlerus Kl Schr. I, 146 sqq. Atque nonne huius rei etiam apud Dionem memoria quaedam exstat, qui Chironem sophistam dicit?

Certe Dio non de suo hoc finxit. Ex Antisthene Cynico eum hausisse, qui in Hercule dialogo fabulam ita proposuerit, suspicatus est Dümmlerus. Equidem coniecerim narrationem Dionis pendere ex illa fabula satyrica Sophoclis, quae inscribitur Ἀχιλλέως ἐρασταί.

Qua fabula materiam paederasticam ad Achillem pertinentem a Sophocle tractatam esse, statim quivis intellegit. Quosnam Achillis amatores credamus ab eo in scaenam ductos esse? Novimus eius amatores, Patroclum, Chironem, Herculem.

Incipiam a fr. 158:

σὺ δ', ὦ Σύαγρε, Πηλιωτικὸν τρέφος,

quo teste Athenaeo IX, 401 D canis venaticus vocatus erat. De rebus venaticis igitur actum erat et in Pelio saltu scaenam fuisse veri est simillimum. Ergo ante Chironis speluncam fabulam actam esse conicias, ita ut Achilles adulescentulus Centauri discipulus prodierit. Bene autem me iudice cum hac

fabulae conditione convenit quod ex Dione supra exscripsi. In fr. 153 et 161 de amore sermo est. Versus facile Chironi tribuere possumus. Intricata autem quaestio est, quid de fr. 154 et 155 sit iudicandum, quorum alterum

τίς γάρ με μόχθος οὐκ ἐπεστάτει;
λέων δράκων τε, πῦρ, ὕδωρ

schol. Pind. N. III, 60 teste ad Thetidis metamorphoses spectat atque ideo vel Peleo vindicandum est, alterum, ex Schol. Ap. Rh. IV, 816 sumptum dicit: *ὑπὸ Πηλέως λοιδορηθεῖσαν τὴν Θέτιν καταλιπεῖν αὐτόν.* Iam vero secundum memoriam vulgarem Achilles a Thetide ad magistrum deducitur, a qua postea iterum abducitur sicut Statius Achill. 105 sqq. rem exposuit. Itaque Thetidem eadem de causa apud Sophoclem ad Chironem venisse facile conicitur, cum praesertim sententia fragmenti 155 melius ad Thetidis quam ad Pelei verba spectare videatur. Iam fragmenta illa non intellegere possum nisi ita ut Thetis, cui Peleus maledixerat, se ad filium abducendum removerit, fortasse cum Phoenice comite, quem ipsum quoque a poeta in scaenam ductum esse fr. 157 docet:

παπαῖ, τὰ παιδίχ' ὡς ὁρᾷς, ἀπώλεσας,

quae verba Phoenicis fuisse Photius L. p. 369, 10 indicat: *ἐπιδόντων γάρ τι τῶν σατύρων εἰς τὴν γυναικείαν ἐπιθυμίαν φησὶν ὁ Φοῖνιξ: παπαῖ ..*, unde collegerim Phoenicem hoc ad Chironem Achillis amatorem tum abducendi locutum esse, quem satyri ita solati esse videntur, ut puero amisso femineis amoribus ut indulgeret suaderent. Atque hoc constat Peleum ipsum quoque personam fabulae fuisse. Haud scio an Thetidem sectatus post illam, fortasse ad finem fabulae, ipse quoque advenerit atque tum, quid iam perpessus sit, enuntiaverit: *τίς γάρ με μόχθος ..* Phoenicem aut cum Peleo aut solum Achillis amore incensum venisse cogitari posse concedo. In fr. 156 de Achillis hasta, fr. 161 de armis sermo est, id quod quadrat ad fabulae conditionem, fr. 159 non obstat.

Sumam igitur haec: personas fabulae fuisse Chironem, Thetidem, Phoenicem, Peleum, Achillem (?), scaenam ad Chironis speluncam fuisse.

Haud scio an poeta satyros ipsos quoque amatores pueri finxerit, quod sane verisimile fit, si verba Photii supra exscripta et Euripidis Cyclopem respicimus.

Satis habeam statuisse Sophoclem fabulam amatoriam de Chirone et Achille in scaenam duxisse.

b) Hercules et Achilles.

Eratosthenes Catasterism. 40: *Οὗτος δοκεῖ Χείρων εἶναι ὁ ἐν τῷ Πηλίῳ οἰκήσας, δικαιοσύνῃ δὲ ὑπερενέγκας πάντας ἀνθρώπους καὶ παιδεύσας Ἀσκληπιόν τε καὶ Ἀχιλλέα· ἐφ' ὃν Ἡρακλῆς δοκεῖ ἐλθεῖν δι' ἔρωτα . ᾧ καὶ συνεῖναι ἐν τῷ ἄντρῳ τιμῶν τὸν Πᾶνα . μόνον δὲ τῶν Κενταύρων οὐκ ἀνεῖλεν, ἀλλ' ἤκουεν αὐτοῦ, καθάπερ Ἀντισθένης ὁ Σωκρατικὸς ἐν τῷ Ἡρακλεῖ . . .*

cf. Antisth. Her. fr. (Proclus in Plat. Alcib. p. 98): *λέγει οὖν καὶ ὁ Ἀντισθένους Ἡρακλῆς περί τινος νεανίσκου παρὰ τῷ Χείρωνι τρεφομένου, Μέγας γάρ, φησί, καὶ καλὸς καὶ ὡραῖος, οὐκ ἂν αὐτοῦ ἠράσθη δειλὸς ἐραστής.*

Fabulam Antistheni Cynico deberi, qui eam in Hercule ita exposuerit, sententia est Dümmleri Kl. Schr. I, 140 sqq. et Wilamowitzii Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 14.

Quod attinet ad testimonium Eratosthenis s. l., secundum traditam codicis lectionem, quam equidem cum Dümmlero l. l., Roberto Arch. Jahrb. V, 232 sqq., Eschero PWR. s. v. Achill. p. 225, 6 retineam, Antisthenes finxit Herculem, Achillis amore commotum, ad Centauri speluncam se contulisse eiusque discipulum factum esse. Praeclare Dümmlerus rem illustravit. Chironem ipsum Socratem repraesentasse, Herculem ipsum quoque philosophum fuisse. Ab Achillis educatione disputationis initium factum esse, qua *παιδεία, ἔρως, πόνος* tractata sint. Chironem, Herculem, Achillem ad unum ab Antisthene molles fictos esse, cuius placitum, amandum esse philosopho, qui solus sciat, quis sit amandus, sane Laërtius Diogenes VI, 11 testatur.

c) Bacchus et Achilles (!)

Clemens Romanus hom. V, 15. cf. Wilamowitz Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 14.

§ 4.

a) Panthus et Antenoris filius.

Servius V. Aen. II, 318: Panthus Othryades.] everso Ilio ab Hercule et occiso Laomedonte, Priamus iudicans vitio potius loci, quam ira deorum calamitatem accidisse patriae, misit Delphos filium Antenoris sciscitaturum, an eversum Ilium fas esset iisdem erigi fundamentis. erat illo tempore Apollinis Delphici sacerdos Panthus Othryadis filius miranda pulchritudine. hunc filius Antenoris, ut dicitur amore captus, rapuit et Ilium perduxit: cuius iniuriam Priamus volens honore pensare, sacerdotem eum Apollinis fecit, ut quo honore insignis apud suos fuerat, eo apud alios non esset inferior.

Recens haec fabula est, nisi fallor, fortasse a poeta Alexandrino ficta, nam scholiasta Tw. M 211 Panthum a Priami nuntiis raptum esse tradidit.

b) Antheus Paridis et Deiphobi amasius.

Lycophro Al. vs 134. (De Paride sermo est):

ὃς τοὺς Λύκου τε καὶ Χιμαιρέως τάφους
χρησμοῖσι κυδαίνοντας οὐκ αἰδούμενος
οὐδ᾽ Ἀνθέως ἔρωτας, οὐδὲ τὸν ξένοις
σύνδορπνον Αἰγαίωνος ἁγνίτην πάγον.

Fusius rem enarrat scholion Scheer II, p. 63: *οὐδὲ τοῦ Ἀνθέως τοὺς ἔρωτας, ὅντινα ἀνελὼν διεσώθης ὑπὸ τοῦ Μενελάου . . . ἐλθὼν δὲ οὗτος (Μενέλαος) εἰς Τροίαν ἐξενώθη Ἀλεξάνδρῳ. ἦν δέ τις Ἀντήνορος υἱὸς λεγόμενος Ἀνθεύς, ὅστις ἦν εὐπρεπέστατος, ἤρων δὲ αὐτοῦ Δηίφοβος καὶ Ἀλέξανδρος. συνέβη δὲ ἀναιρεθῆναι τὸν παῖδα ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἀκουσίως. ὁ δὲ φοβούμενος τὴν πόλιν ἀπῆρε σὺν Μενελάῳ καὶ ἐλθὼν εἰς Σπάρτην προσεφιλιώθη τῇ Ἑλένῃ, ἥντινα καὶ ἁρπάσας ᾤχετο.*

Fabulam iam ante Lycophronem fuisse crediderim, nam obiter tantum eam tangit satis obscuris verbis, quae tantum intellegi poterant, si fabula omnibus nota erat.

c) Mercurius et Antheus.

Alium Antheum canit Alexand. Aetol. Apoll. fr. in Parthen. Narr. am. XIV:

Ἀσσησοῦ βασιλῆος ἐλεύσεται ἔκγονος Ἀνθεὺς
ὅρκι' ὁμηρείης πίστ' ἐπιβωσάμενος
πρωθήβης, ἔαρος θαλερώτερος· οὐδὲ Μελίσσῳ
Πειρήνης τοιόνδ' ἀλφεσίβοιον ὕδωρ
θηλήσει μέγαν υἱόν, ἀφ' οὗ μέγα χάρμα Κορίνθῳ
ἔσται καὶ βριαροῖς ἄλγεα Βακχιάδαις·
Ἀνθεὺς Ἑρμείῃ ταχινῷ φίλος, ᾧ ἔπι νύμφη
μαινὰς ἄφαρ σχήσει τὸν λιθόλευστον ἔρων.

Est igitur ille Antheus Halicarnassensis, regio sanguine natus. De narratione ipsa a Parthenio recepta recte disputavit Schirmer RML s. v. Antheus. Satis habeo statuisse Antheum ab Alexandro Mercuri amasium fictum esse.

§ 5.

a) Talus et Rhadamanthys.

Athen. XIII, 603 d: *Ῥαδαμάνθυος δὲ τοῦ δικαίου Ἴβυκος ἐραστήν φησι γενέσθαι Τάλων.*

Suidas s. v. *Θάμυρις: καὶ πρῶτος ἠράσθη παιδὸς Ὑμεναίου τοὔνομα . . . οἱ δὲ Κρῆτά φασί τινα Τάλωνα Ῥαδαμάνθυος ἐρασθῆναι . οἱ δὲ Λάιόν φασιν ἐρασθῆναι πρώτου Χρυσίππου τοῦ Πέλοπος . . .*

Revera vetustissima fabula Cretica, certe saeculo VI. iam pervulgata, quam Ibycus iam recepit sicut Ganymedem. Haud dubie olim in ore populi Cretensis fuit, paederastiae tantopere dediti, non enim nisi in Cretensium fabulis una heroes occurrunt. Est enim ille Talus *ὁ χαλκεῖος Τριγίγας* (Orph. Arg. 1348), ab Hephaesto Minoi datus, ut, si abesset, cum insulam, tum Europam custodiret.

b) Rhadamanthys et Licymnius.

Philostr. Ep. 46 (K. II, p. 228): *Εἰ ξένος ὢν ἐρῶ σου, μὴ θαυμάσῃς . . . οὐ μὴν ὁ Βράγχος ἔφευγε τὸν Ἀπόλλωνα ὡς ξένον, οὐδὲ ὁ Ὕλας τὸν Ἡρακλέα, οὐδὲ ὁ Λικύμνιος τὸν Ῥαδάμανθυν, οὐδὲ ὁ Πάτροκλος τὸν Ἀχιλλέα . . .*

Licymnium Licymnae, Tirynthiorum arcis, heroem eponymum ex Strabone VIII, 373 notum, Herculis et Alcmenae consanguineum fuisse accepimus. cf. Hom. B 662, [Apoll.] bibl. II, § 52. In Thebanorum quoque fabulis heros occurrit [Apoll.] bibl. II, § 57.

Rhadamanthyn, Minois fratris metu affectum, ex Creta Ocaleam Boeotiae in oppidum se contulisse ibique Alcmenam in matrimonium duxisse constat.

Boeotorum igitur fabula est.

c) Miletus vel Atymnius Minois et Sarpedonis amasius.

[Apoll.] bibl. III, § 5, 6: *Εὐρώπην δὲ γήμας Ἀστέριος ὁ Κρητῶν δυνάστης τοὺς ἐκ ταύτης παῖδας ἔτρεφεν. οἱ δὲ ὡς ἐτελειώθησαν, πρὸς ἀλλήλους ἐστασίασαν· ἴσχουσι γὰρ ἔρωτα παιδὸς ὃς ἐκαλεῖτο Μίλητος, Ἀπόλλωνος δὲ ἦν καὶ Ἀρείας τῆς Κλεόχου. τοῦ δὲ παιδὸς πρὸς Σαρπηδόνα μᾶλλον οἰκείως ἔχοντος πολεμήσας Μίνως ἐπροτέρησεν. οἱ δὲ φεύγουσι, καὶ Μίλητος μὲν Καρίᾳ προσσχὼν ἐκεῖ πόλιν ἀφ' ἑαυτοῦ ἔκτισε Μίλητον. . . . ἔνιοι δὲ αὐτοὺς ἐρασθῆναι λέγουσιν Ἀτυμνίου τοῦ Διὸς καὶ Κασσιεπείας, καὶ διὰ τοῦτον στασιάσαι.*

Nicander Heter. II ap. Anton. Lib. Met. 26: *Ἀπόλλωνος καὶ Ἀκακαλλίδος τῆς Μίνω θυγατρὸς ἐγένετο παῖς ἐν Κρήτῃ Μίλητος. τοῦτον ἡ Ἀκακαλλὶς δείσασα Μίνω ἐξέβαλεν εἰς τὴν ὕλην, καὶ αὐτὸν ἐπιφοιτῶντες λύκοι βουλῇ Ἀπόλλωνος ἐφύλαττον καὶ ὤρεγον παρὰ μέρος γάλα . ἐπεὶ δὲ ὁ παῖς ηὔξετο καὶ ἐγένετο καλὸς καὶ δραστήριος καὶ ὁ Μίνως κατὰ πόθον ἐνεχείρει βιάζεσθαι, τότε νυκτὸς ὁ Μίλητος ἐμβὰς εἰς ἄκατον βουλῇ Σαρπηδόνος εἰς Καρίαν ἀποδιδράσκει καὶ πόλιν ἐνταυθοῖ κτίσας Μίλητον ἔγημεν Εἰδοθέην τὴν Εὐρύτου θυγατέρα τοῦ βασιλέως τῶν Καρῶν.*

Cretensium fabula haud dubie, qua non solum hi heroes Cretici solito amoris vinculo coniunguntur sicut Rhadamanthys et Talus, sed etiam explicatur, qui factum sit, ut Mileti nomen et in Creta et in Asia reperiretur.

d) Minos et Theseus.

Zenis Chius ap. Athen. XIII, 601 F.: *καὶ τὴν πρὸς Ἀθηναίους δ' ἔχθραν διελύσατο Μίνως, καίπερ ἐπὶ θανάτῳ παιδὸς συστᾶσαν, Θησέως ἐρασθεὶς καὶ τὴν θυγατέρα τούτῳ γυναῖκα ἔδωκε Φαίδραν, ὡς Ζῆνις ἢ Ζηνεύς φησιν ὁ Χῖος ἐν τῷ περὶ τῆς πατρίδος συγγράμματι.*

Fabulam ludibundam geographum Alexandrinae aetatis de suo finxisse veri dissimile est. Itaque e poeta quodam Alexandrino

sumpta esse videtur, qui fabulam priscam de Minois cum Atheniensibus inimicitiis — nam Androgeum filium eius interfecerant. — ita fabulose exornavit, ut Minos, Thesei amore incensus, inimicitiis et sacra sanguinis vindicta se abdicaret.

§ 6. Fabulae ad Bacchum pertinentes.

De Baccho paedicante velim conferas Gruppe Gr. M. I, 867.

a) Prosymnus (Polymnus, Hypolipnus).

Mythogr. Westerm. p. 348: *Πολύυμνος Ἀργεῖος Διονύσου ἐρασθεὶς ὑπέσχετο ζητοῦντι τὴν εἰς Ἅιδου κάθοδον μηνύσειν, ἐὰν αὐτῷ τῆς ὥρας ἀποχαρίσηται. ἐπαγγειλαμένου δὲ τοῦ θεοῦ ἐμήνυσε διὰ τῆς Λέρνης οὔσης ἀβύσσου. ἀναγαγὼν δὲ τὴν Σεμέλην εὗρε τὸν Πολύυμνον τετελευτηκότα, θέλων δὲ εὐορκεῖν, ἐλθὼν ἐπὶ τὸν τάφον τοῦ ἐραστοῦ συκίνῳ φάλλητι περιεκυλίσατο. διὰ τοῦτο ἔνιοί φασι ἵστασθαι τῷ θεῷ φάλλους ὑπομνήματα τῆς εὐορκίας.*

cf. Schol. Lucian d. dea Syr. 16 (Jakob. IV, 257). Clem. Al. Protr. II, 30 Stählin I, p. 25. Nonn. narr. ad Greg. invect. I. 37, p. 139 = Myth. Westerm. p. 368. Hygin. Astr. II, 5. Schol. Lycophr. 212, Scheer II, 99.

Omnia argumenta ad unicum nescio cuius enchiridii mythologici locum reducenda esse evicit Wilamowitzius Anal. Eur. 182, Index Gryph. 1880 C. G. II, 15.

Sine dubio fabula satis turpis Argiva est et quidem regionibus Lernaeis assignanda, nam ex illius Bacchi Argivi cultu certe provenit. Fabulam obscoenam recentem esse suspicatus est Wilamowitzius, ideo enim, quod Prosymnus ad Molorchi Argivi exemplum fictus sit, a Callimacho e tenebris protracti. Antea iam Robertus Eratosth. 230 Istrum, Callimachi discipulum, qui Argolica composuit, auctorem Hygini posuerat.

Tamen haud scio an haec ipsa fabula prisca fuerit. Primum enim a Doriensibus ficta est, deinde Prosymni nomen certe priscum est sicut Prosymna oppidum cognomine, denique veri est simile fabulam cum priscis sanctisque paedicatorum consuetudinibus cohaesisse. cf. Bethe RhM. 1907, p. 451[34].

b) Ampelus.

Ovid. Fast. III, 405 sqq.:

Ampelon intonsum satyra nymphaque creatum
Fertur in Ismariis Bacchus amasse iugis.
Tradidit huic vitem pendentem frondibus ulmi
Quae nunc de pueri nomine nomen habet.
Dum legit in ramo pictas temerarius uvas
Decidit. amissum Liber in astra tulit.

Ab Ovidio magnam partem discrepat Nonnus Dion. X, XI, qui fabulam fuse et abunde persequitur. Nonnus rem in silvas Lydias transponit, in quibus Bacchus, per Lydiam iter faciens, amasium invenit. Iuvenis formosus a tauro furente, quem, a Iunone stimulatus, petulanter ascenderat, prosternitur et moriens a Iove in vitem transmutatur, cuius fructibus Bacchus inde delectatur.

Talem fabulam ludibundam non ante tempora Alexandrina exstitisse iam metamorphosis ipsa docet, artificium Romanum sculptum comprobat, depictum RML. s. v. Ampelos p. 229, cuius archetypum Graecum saeculo III. a. Chr. n. assignandum esse probavit Dümmlerus PWR. s. v. Ampelos II. Itaque fabulam poetis Alexandrinis deberi constat. Ovidium enim et Nonnum e Bacchicorum carmine quodam raris et lascivis fabulis conspicuo hausisse docuit Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 14.

c) Corybus (Corymbus).

Schol. Lucian. d. dea Syr. 28 (Jakob. 4, p. 258): *οὐκ ἐρέω, οὐδὲ γὰρ ὅσιον, οἶμαι τὴν αἰτίαν ἐρεῖν, κιναίδειαν Διονύσου καταγορεύων, παρ' ὅσον καὶ ὁ φαλλὸς τοῦ πεπορνευκότος Κορύβου Διόνυσον ὑπόμνημα, μισθὸν τοῦτον αὐτῷ Διόνυσον ἐκτετικότα Σεμέλης τῆς μητρὸς μήνυτρα.*

Veri est simile hunc Corybum eundem esse atque illum Corymbum, numen Bacchicum, quod in inscriptione Ephesia (Newton-Hicks, Anc. Greek inscr. 3, 600, p. 221 sq.) in bacchantium turba occurrit ac quem Nonnus D. XII, 292 iuvenem delicatum hederae cognominem dicit, a cuius matre Bacchum infantem educatum esse XIII, 141 narrat.

Atque inde, quod Corymbus hederam significat, plantam antiquitus deo sanctam, fabellam eius similem fuisse atque Ampeli concludi potest. Sane Luciani scholiasta fabulam eius cum Prosymni antea commemorati confuderit.

d) Hymenaeus.

Athen. XIII, 603 d: *Λικύμνιος δ' ὁ Χῖος ἐν Διθυράμβοις Ἀργύννου* (*Διονύσου* legendum esse evicit Wilamowitzius Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 14) *φησὶν ἐρώμενον Ὑμέναιον γενέσθαι.* Clem. R. hom. V, 15.

Nonnus Hymenaeum Phlegyae filium appellat et inter nobilissimos dei comites habet et Dion. XIII, 84, IXXX, 15. XXXVII, 723 *εὐχαίτην* dicit, XIII, 85 *Βρομίῳ πεφιλημένον,* XIII, 91 *ἁβροκόμην.*

Fabula igitur a Licymnio provenit, quem Endymionem et Hypnum quoque amatores finxisse infra ostendam.

e) Adonis.

Athen. X, 456 A: *Πλάτων δ' ἐν τῷ Ἀδώνιδι χρησμὸν δοθῆναι λέγων Κινύρᾳ ὑπὲρ Ἀδώνιδος τοῦ υἱοῦ φησίν·*

> „*ὦ Κινύρα βασιλεῦ Κυπρίων ἀνδρῶν δασυπρώκτων,*
> *παῖς σοι κάλλιστος μὲν ἔφυ θαυμαστότατός τε*
> *πάντων ἀνθρώπων, δύο δ' αὐτὸν δαίμον' ὀλεῖτον*
> *ἡ μὲν ἐλαυνομένη λαθρίοις ἐρετμοῖς, ὁ δ' ἐλαύνων*".

λέγει δὲ Ἀφροδίτην καὶ Διόνυσον· ἀμφότεροι γὰρ ἤρων τοῦ Ἀδώνιδος.

Phanocl. Erot. ap. Plutarch. Quaest. Conviv. IV, 5, 9, p. 671 B, C: *οἱ δὲ παιδικὰ τοῦ Διονύσου γεγονέναι* (Adonidem) *καὶ Φανοκλῆς, ἐρωτικὸς ἀνήρ, ὧδε που πεποίηκεν·*

> „*Εἰδὼς θεῖον Ἄδωνιν ὀρειφοίτης Διόνυσος*
> *ἥρπασεν, ἠγαθέην Κύπρον ἐποιχόμενος*".

f) Hermaphroditus.

Clem. R. hom. V, 15. cf. Wilamowitz Ind. Gryph. 1880 C. G. II, 14: proclivis fabulae inventio in Hermaphrodito, cui in sarcophagis dormienti obrepit thiasus Bacchicus.

g) Chiron

Bacchi amator audacter fictus est a Ptolemaeo Chenno falsario Nov. Hist. C. 4.

De Achille actum est.

§ 7.

Cadmus Mercurii amasius.
Lucian. Charid. 9. Lyram enim a deo acceperat.

Calais Orphei amasius.
Phanocl. Erot. ap. Stob. 64, 14, 2. (368 M.) Enarrat Alexandrinus vatem a feminis Thracibus interfectum esse, quia primus paedicandi auctor fuisset.

Centauri saeculo V. ineunte iam in Olympiaco Iovis templo paedicatores ficti erant. cf. Tümpel RML. s. v. Kentauren, p. 1052. cf. Hesych. s. v. *Κένταυροι.* Schol. Aeschin. Timarch. § 52.

Cycnus Phylii amasius.
Nicander, Areus ap. Anton. Lib. Met. 12. Fabula igitur Alexandrina est.

Daphnis Mercurii amasius.
Aelian. Var. hist. V, 18.

Endymion Hypni amasius.
Licymn. Chius ap. Athen. XIII, 564 C. Suidas s. v. *Ἐνδυμίωνος ὕπνον.* Diogen. IV, 40. Fabula a Licymnio ficta est, quem alterius fabulae auctorem iam cognovimus.

Glaucus Melicertae amasius.
Hedylus ap. Athen. VII, 297 a. Fortasse ex ore nautarum Corinthiorum hoc receptum est a poeta quodam Alexandrino. cf. Gruppe Gr. M. 123.

Hippolytus Aesculapii amasius.
Clem. R. hom. V, 15. Deus Hippolytum vitae restituerat.

Hyacinthus Thamyrae amasius.
[Apoll.] bibl. I, § 16. Fabula Thessalica?

Hylas Polyphemi amasius.
Euphorio in schol. Theocr. XIII, 7. Socrates in schol. Ap. Rh. Arg. I, 1207. Prisca Cianorum fabula sicut Herculis in Hylam amor. Nam fabulas conglutinavit Apollonius.

Hymenaeus Thamyrae amasius.
Suidas s. v. *Θάμυρις*.

Narcissus Aminiae amasius.
Conon narr. 24. Fabula Boeotica Alexandrinorum ratione fabulose exornata.

Nerites Neptuni amasius.
Aelian. Nat. an. XIV, 28. Metamorphosis ad Alexandrinos spectat.

Olympus Marsyae amasius.
[Plato] Minos 318 B. Ovid. Met. 6, 393. ex Ponto III, 3, 42. Philostr. Imag. I, 20, 21. Vitae sophist. II, 5. 4 (p. 249). Haud dubie sophistarum Platonisque temporibus confictum, sicut Chironis in Achillem amor. Socrates ipse saepius cum Marsya comparatur.

Palicus Iovis amasius.
Servius Verg. Aen. IX, 584.

Peleus Vulcani amasius.
Clem. R. hom. V, 15. Servaverat enim Vulcanus gladio donato Peleum a Centauris.

Perseus Mercurii amasius.
Clem. R. hom. V, 15. Quia a deo petasum et soleas acceperat.

Phaëthon Cycni amasius.
Phanocl. Erot. ap. Lactant. Plac. arg. IV in Ovid. Met. II. Verg. Aen. X, 189. cf. Servium ad h. l. Phanoclis fabula, qui propinquos amicosve amatores finxit.

Tlepolemus Thesei amasius.
Athen. VII, 295 b.

Vesper Hymenaei amasius.
Servius Verg. Ecl. VIII, 30. cf. Catull. 62, 7, 26. Nonnus Dion. 38, 137. Fabula Alexandrina ni fallor.

Conclusio.

Iam concludamus, quid ex fabulis congestis collatisque eruerimus.

1. Vetustissimos Graecos amoribus puerilibus nondum indulsisse, statim inde cognoscitur, quod prisca historia fabularis caret omnino illa nequitia. Desideratur enim in carminibus Homericis.

2. Originem stuprorum multarumque fabularum ipsarum externis gentibus, imprimis Lydis, Phrygibus deberi sententia fuit Welckeri Aesch. Tril. 355sq., Prelleri RhM. IV, 1846, 399, C. O. Mülleri Dorer II², 292, aliorum. Contra ad unam omnes fabulas a Graecis ipsis confictas esse evicisse mihi videor. Erant sane fabulae accuratius perquirendae: Tantali in Ganymedem amor unius Phanoclis fabula est, Agamemnon et Argynnus Boeotis vindicantur, Pelops Neptuni amasius Peloponnesiis, Ganymedes poetis epicis et Cretensibus. Revera ne una quidem fabula occurrit, quae aliam originem habeat nisi Graecam.

3. Tamen paederastiam quodam tempore in Graeciam introductam esse, cum ex multis primum paedicantibus historiae fabularis, tum ex vetustissimis fabulis ipsis cognoscitur, quibus paederastia primum increbrescens summa macula dicitur, summa poena digna, velut in Chrysippi et Argynni fabulis. Itaque paederastiam a Doriensibus importatam esse fabulis ipsis comprobatur. Cognovimus enim plurimas illarum fabularum, atque imprimis vetustissimas gravissimasque a Doriensibus confictas esse. Itaque maxime in amoribus versantur et Apollo et Hercules, quippe qui in civitatibus Doriensibus imprimis culti sint. Sane et Aeolas et Ionas Dorum mores mox recepisse, ex fabulis ipsis cognovimus.

4. Stupra puerorum saeculis VIII./V. maxume viguisse historia fabularis probat, tum nonnihil illis amoribus aucta atque variata. Nam praeterquam quod priscae heroum sodalitates tum in amores paederasticos convertuntur, hic et ubique novae fabulae amatoriae confinguntur, quinimo novi cultus a paedicatoribus instituuntur. Vetustissima fabula in Oedipodia narrata fuit.

5. Imprimis eis in regionibus tales fabulas confictas esse, in quibus stupra maxume viguisse aliunde quoque accepimus, non est mirum.

α) Creta.

Cretenses maxime amoribus indulsisse inde ab illis temporibus, quibus Dorienses advenerunt, saepius comperimus. Athen. XIII, 561 f. 601 e. Plato Leg. I, 636 c. Plutarch. Amat. C. XVII, p. 761 D. Quinimo Timaeus (FHG. I, 201 ex Athen. XIII. 602 f) paederastiam omnino a Cretensibus provenisse dixerat. Itaque non paucae fabulae priscae Cretensibus debentur:

Minos, Ganymedes.
Minos, Sarpedon — Miletus, Atymnius.
Talus, Rhadamanthys.
Apollo, Atymnius.

Meriones et Idomeneus ipsi quoque Cretenses sunt.

β) Boeotia.

Boeoti ipsi quoque praeter ceteros his moribus cesserunt. Athen. XIII, 561 f. Plutarch. Amat. C. XVII, p. 761 D. Pelop. C. XVIII, p. 287. Sextus Empir. hypot. III, 199. Priscae fabulae:

Hercules, Iolaus.
Laius, Chrysippus
Iuppiter, Chrysippus.
Agamemnon, Argynnus.
Rhadamanthys, Licymnius.
Apollo, Potnieus.

γ) Lacedaemon.

Lacedaemonios ipsos quoque amoribus puerilibus valde deditos fuisse constat. Schol. Tw. Y 234: *ἤρξατο δὲ ἀπὸ Λακώνων παιδεραστεία τῶν γυμνασίας ἐπινοησάντων.* Athen. XIII, 561 d. Plutarch. Amat. C. XVII, 761 D.

Apollo, Hyacinthus.
Hercules, Elacatus.

Neque minus in ceteris Peloponnesi regionibus Doriensium auctoritas historia fabulari comprobatur.

Achaia: Hercules, Sostratus. Elis: Pelops, Neptunus.

Argolis: Bacchus, Prosymnus. Apollo, Scephrus (?). Glaucus, Melicertes (?).

Attica unicam fabulam habet: Hercules, Diomus.

Non paucae fabulae in insulis natae sunt:

Leucas: Apollo, Leucates. Zacynthus: Apollo, Zacynthus.

Parus: Apollo, Parus. Rhodus: Apollo, Phorbas (?).

Cyprus: Bacchus, Adonis. Apollo, Cinyras (?). —

Thracia: Hercules, Abderus. Hercules, Perinthus.

Asia: Bithynia: Hercules, Hylas. Polyphemus, Hylas. Ionia: Apollo, Branchus. Apollo, Clarus.

Italia: Hercules, Chonus. Hercules Iocastus.

Lybia: Hercules, Phrix.

6. Inde ab illis temporibus, quibus tales fabulae in ore populi increbrescere incipiunt, poetae ipsi quoque huic studio concedunt, sive fabulas iamiam pervulgatas recipiunt, sive de suo novas fingunt.

Oedipodiae poeta: Laius, Chrysippus. fabulam finxit.

Hesiodus: Apollo, Melampus.

Ibycus: Ganymedes. Talus, Rhadamanthys.

Theognis: Iuppiter, Ganymedes.

Pindarus: Iuppiter, Ganymedes. Neptunus, Pelops.

Aeschylus: Achilles, Patroclus.

Phrynichus: Achilles, Troilus.

Praxilla: Iuppiter, Chrysippus.

Sophocles: Ἀχιλλέως ἐρασταί (Chiron, Achilles). Achilles, Troilus? Iuppiter, Ganymedes (Colch. fr. 320 N).

Euripides: Laius, Chrysippus. Ganymedem saepe tangit.

Sophistarum temporibus aliquot fabulae confictae sunt ex eorum scholarum rationibus natae: Marsyas, Olympus. Chiron, Achilles. Hercules, Achilles. (Antisthenes Cynicus auctor.)

Licymnius Chius: Hypnus, Endymion. Bacchus, Hymenaeus. fabulas finxit.

Plato com.: Bacchus, Adonis. Laius, Chrysippus? (Laium enim conscripsit.)

Plurimum poetae Alexandrini fabulas paederasticas in deliciis habuerunt, qui non solum multas priscas fabulas e tenebris protraxerunt et summa artis indole exornaverunt, sed etiam non paucas fabulas novas confinxerunt. Fabulae novae:

Apollo, Cyparissus.
Bacchus, Ampelus. } Metamorphoses.
Neptunus, Nerites.
Hercules, Admetus.
Hercules, Philoctetes.
Tantalus, Ganymedes.
Apollo, Admetus.
Apollo, Hymenaeus.
Hymenaeus, Vesper.
Aminias, Narcissus.
Orpheus, Calais.
Phaëthon, Cycnus.
Cycnus, Phylius.
Glaucus, Melicertes.
Bacchus, Hermaphroditus.
Minos, Theseus.
Antheus, Paris.
Panthus, Antenoris filius.
Mercurius, Antheus.

Ganymedes, Hyacinthus, Hylas quam multifariam ab Alexandrinis tractati sint illustravi.

Phanocles catalogum composuit: *Ἔρωτες ἢ Καλοί*: Orpheus, Calais. Bacchus, Adonis. Agamemnon, Argynnus. Cycnus, Phaëthon. Tantalus, Ganymedes.

Alexander Aetolus: Mercurius, Antheus.

Callimachus: Apollo, Branchus. Hercules, Hylas. Apollo, Admetus. Iuppiter, Ganymedes (A. P. XII, 230).

Theocritus: Hercules, Hylas. Hercules, Eurystheus (XXIX, 37).

Bion: Theseus, Pirithous. Orestes, Pylades. Achilles, Patroclus. Apollo, Hyacinthus.

Apollonius Rhodius: Hercules, Hylas.

Lycophro: Achilles, Troilus. Neptunus, Pelops. Antheus, Paris.
Rhianus: Apollo, Admetus. Hercules, Diomus.
Alcaeus Messenius: Hercules, Polystratus.
Hedylus: Glaucus, Melicertes.
Euphorion: Polyphemus, Hylas. Apollo, Hyacinthus.
Diotimus: Hercules, Eurystheus.
Simias Thebanus: Apollo, Hyacinthus.
Antipater: Iuppiter, Ganymedes (A. P. IX, 77).
Dioscorides: Iuppiter, Ganymedes (A. P. XII, 37).
Straton: Iuppiter, Ganymedes (A. P. XII, 194, 220, 221, 254).
Meleagrus: Iuppiter, Ganymedes (A. P. XII, 65, 66, 68, 70, 133).
Nicander: Apollo, Hyacinthus. Apollo, Hymenaeus. Hercules, Hylas. Cycnus, Phylius.

Ex Alexandrinis pendent poetae Romani.

Ovidius: Iuppiter, Ganymedes (Fast. VI, 41, Met. X, 155), Marsyas, Olympus (Met. VI, 393, ex Ponto III, 3, 42), Chiron, Achilles (ex Ponto III, 3, 42), Bacchus, Ampelus (Fast. III, 405 sqq.), Apollo, Cyparissus (Met. X, 106 sqq.), Apollo, Hyacinthus (Met. X, 162), Apollo, Admetus (Heroid. V, 151, Ars am. II, 239).
Propertius: Agamemnon, Argynnus III, 7, 21 sqq. Hercules, Hylas I, 21 (20).
Tibullus: Apollo, Admetus II, 3, 10. III, 4, 65.
Vergilius: Iuppiter, Ganymedes Aen. I, 28. Phaëthon, Cycnus Aen. X, 189; finxit Apollinem et Iapygem Aen. XII, 391.
Martialis: Iuppiter, Ganymedes V, 55. VII, 50, 74. XI, 22, 26, 43, 104. Achilles, Patroclus V, 48. Hercules, Hylas: V, 48. VI, 48. VII, 15, 50. IX, 25, 65. X, 4. XI, 43.
Statius: Chiron, Achilles Silv. II, 1, 89. Achilles, Patroclus Achill. I, 174. Hercules, Hylas Silv. II, 1, 10.

E poetis Alexandrinis ipse quoque pendet Nonnus: Iuppiter, Ganymedes. Bacchus, Ampelus. Neptunus, Pelops. Zephyrus, Cyparissus. Hercules, Hylas. Apollo, Atymnius. Apollo, Admetus.

Fabulis paederasticis Ptolemaei Chenni ut ita dicam figmenta fraudulenta adiungantur, qui in Nova historia finxit Patroclum Neptuni amasium, Nestorem, Adonidem, Nireum,

Argum, Corythum, Stichium Herculis amasios, Pollucem Mercurii. Helenum Apollinis, Priamum Iovis. Bacchum Chironis, Euphorionem Iovis amasium.

Saepe comoediae quoque poetae, imprimis mediae, historiae fabularis pulchros in scaenam duxerunt. Accepimus ex. gr. Platonem comicum praeter Adonidem, qua fabula Bacchi amorem exposuerat, Laium quoque scripsisse, qua fabula Chrysippi amorem poetam tetigisse coniciam. Chrysippum scripserunt et Strattis et Diogenes Cynicus, Ganymedem et Antiphanes et Eubulus.

Vita.

Natus sum Alexander Rudolf Beyer Lipsiae anno saeculi proximi LXXXIV die VI. mensis Ianuarii patre Arthuro, matre Camilla e gente Möller. Fidei addictus sum Lutheri evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus per novem annos scholam Nicolaitanam Lipsiensem frequentavi. Ibi egregios praeceptores nactus sum, e quibus imprimis Georg Berlit et Johannes Baunack me inflammaverunt, ut poetas et nostros et antiquos, praeclaros illos vitae magistros, studiosissime iterum atque saepius perlegere non desinerem. Maturitatis testimonium adeptus hanc litterarum sedem adii, ut theologiae, inde ab anno 1904 philologiae studiosis adscriberer. Docuerunt me vel docent viri illustrissimi Bethe, Brahn, Brugmann, Gardthausen, Hauck, Heinrici, R. Heinze, Hirt, Holz, Ihmels, Immisch, Jungmann, Kittel, Köster, Lamprecht, Lipsius, Marx, Mogk, Sievers, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth †, Witkowski, Wundt. Unum per semestre (aestate a. 1907) studiorum sedem Ienensem frequentavi et lectionibus interfui virorum doctissimorum Götz, Hirzel. Tria per semestria sodalis fui proseminarii philologi Lipsiensis moderante Immisch, unum per semestre seminarii philologi Ienensis moderantibus Hirzel, Diehl. Praeterea aditum mihi patefecerunt ad exercitationes metricas Marx, ad exercitationes archaeologicas Studniczka, ad proseminaria Germanica Köster, Sievers, ad seminarium paedagogicum Jungmann.

His omnibus viris doctis gratias habeo quam maximas, imprimis Erico Bethio, qui me ad hunc libellum scribendum suscitavit et semper studiorum meorum fautor fuit.